LIBRARY
OF THE
UNIVERSITY OF ILLINOIS

QUAESTIONUM SERVIANARUM PART. I:

DE SERVI AUCTORIBUS GRAMMATICIS, QUOS IPSE LAUDAVIT.

DISSERTATIO INAUGURALIS PHILOLOGICA

QUAM SCRIPSIT

ET

AMPLISSIMI PHILOSOPHORUM ORDINIS

CONSENSU ET AUCTORITATE

IN

ALMA LITTERARUM UNIVERSITATE VIADRINA

AD

SUMMOS IN PHILOSOPHIA HONORES

RITE CAPESSENDOS

DIE XXVIII. MENSIS APRILIS A. MDCCCLXXVI, HORA XII.

IN AULA MINORE

PUBLICE DEFENDET

IOANNES KIRCHNER

SILESIUS.

ADVERSARII ERUNT:

HERMANNUS SPECK, PHIL. DR., COLL. GYMN. ELISAB.
GUILELMUS BAUMM, CAND. PROB. MUN. SCHOL. SUP.
BERTHOLDUS SPECK, STUD. PHIL., REG. SEM. PH. SOD.

LIPSIAE,

TYPIS B. G. TEUBNERI.

MDCCCLXXVI.

MARTINO HERTZ

ET

GEORGIO THILO

SACRUM.

DE SERVI AUCTORIBUS GRAMMATICIS, QUOS IPSE LAUDAVIT.

SCRIPSIT

IOANNES KIRCHNER.

Quam instituturi sumus quaestionem de fontibus Servi grammaticis, eam artissime esse conexam cum illa de compositione et origine omnium scholiorum Vergilianorum vix est quod moneamus. Cum enim semel perspectum habebimus, quae tandem ratio atque indoles horum scholiorum fuerit atque quomodo Servius copias suas congesserit, multo facilius intellecturos nos esse sine dubio sperare licet, qualis fontium ratio fuerit. Viros doctos, qui in Servi fontibus indagandis operam posuerint non habeo quos adferam, cum noster Servius usque ad hoc proximum tempus, licet olim a multis expetitus sit, nostris philologis omnem saporem amisisse videatur. Neque enim ut Teuberi dissertatione (de Mauri Servii Honorati grammatici vita et commentariis, part. I Vratisl. 1843) qui cum de Servi fontibus quaereret, auctorum quos Servius ipse laudavit nominibus secundum singula argumenta ab illis tractata compositis indices tenuissimos confecisse satis habuit, quaestionem profligatam esse putem a me impetrare possum. Quare satis miror, quod Teuffelius (L. G.[3] § 431,2 p. 1013) huius dissertationis vel singulas partes enumeravit atque indicavit, id quod ab ipso perquam raro factum esse videmus. At ne iustō acerbius iudicare videamur, exemplum adferamus quo qualem ille rem egerit, manifesto pateat. De Servi genere scribendi et de pretio quo illius commentarii sint habendi haec profert (cf. p. 53): „Ad scribendi igitur genus quod attinet, id tale est, quale in illa aetate, illo homine, illo operis consilio exspectari poterat, purum et emendatum, distinctum limatumque nec raro etiam elegans ac venustum, simul tamen tenue atque ab ambitioso ornatu remotum.“ Sequuntur verba inania (cf. p. 54), ex quibus cum exempla desint, qualis stilus fuerit Servianus, cognosci ullo modo nequit: verba istaec sunt. Non magis iuvamur iis, quae Teuberus inde a p. 42—53 de Servi fontibus disputavit. Exempli gratia ea adscribam, quae p. 44 de Donato Servi auctore dixit: „Alter est Tiberius Claudius Donatus, cuius in Aeneidem tantum commentarius adhuc superest, quem tamen ad Eclogas quoque et Georgica commentarios scripsisse eo probatur, quod Servius in interpretandis hisce carminibus Donati quoque ad singulos locos saepius mentionem facit explicationum. His atque etiam ad Aenei-

dem illius interpretationibus Servium usum esse et multam ad disputandum materiam inde desumsisse ex ipsius notis videmus ad: Ecl. II, 17. III, 38. G. I, 120. 198. 424. II, 4. 324. 412. 514. IIII, 153. 346. ad Aen. II, 546. 557. 798. III, 242. 535. 636. VI, 177. 230. 339. 535. 623 (bis). VII, 1. 543. 563. VIII, 333. 373. 642. VIIII, 31. 363. 547. 675. 763. X, 331. 463. 497. XI, 31. 124. 316. 318. 762. XII, 365. 366. 507. 514. 585, quae simul quid de Servii et Donati doctrina sit statuendum indicant." Itaque Teuberus de Donatiani commentarii doctrina et indole quaerere supersedens Lionis indicem in dissertationem suam paucis praemissis transtulisse satis habuit. Quid quod inter Aelium Donatum, Vergili commentatorem pricrem, et Tiberium Claudium Donatum, qui Servi aetate poetam interpretatus est, nullum fecit discrimen? Ex Teuberi igitur quaestionibus haud ita magnum fructum percipi posse adparet. Quamquam non omnibus auxiliis destituti sumus. Ribbeckius enim, qui in Vergili carminibus emendandis atque edendis egregiam et curam et operam posuit, cum in prolegomenis criticis inde a p. 114—212 Vergili testimonia apud scholiastas servata exactissimo iudicio examinaret, uno tenore etiam multa, ex intimis scholiastarum Latinorum penetralibus hausta, docuit, quibus res multae obscurae atque occultae in praeclara luce collocatae sunt. Cuius prolegomena saepissime, ubicunque fieri licuit, compilavimus. Quod Suringari libros historiae criticae scholiastarum latinorum, quos ex bibliotheca regia mihi parare frustra studui, non inspexi, nemo, opinor, notabit qui verissima de eius libro iudicia Ritscheli (Parerga I, p. 361) et Bernhardyi (Berliner Jahrbücher für wissenschaftliche Kritik, September 1836, p. 462—480) noverit. Sed iam ad id unde egressi sumus, revertamur.

Antiquissimi scholiastae, ut Suringari verbis utar (hist. crit. t. I, p. 14 sq., quem locum Teubero l. l. p. 36 debeo) „hoc in primis agebant, ut exempla suorum scriptorum exhiberent quam maxime emendata, ut versus spurios eicerent, ut pulchre dicta laudarent, quae ipsis minus recte dicta videbantur, reprehenderent, vestigia imitationum Graecorum et veterum Romanorum persequerentur, figuras et alia sermonis in primis poetici ornamenta exponerent, fabulas, historiam et res paulo obscuriores, eas quo in satiris, epistolis aliisque libris respexissent, illustrarent; denique ut vocem hic illic antiqua sive nova significatione positam explicarent." Quibus Teuberus l. l. optime addit, grammaticos illo munere ita esse functos, ut alius aliud potissimum in explicando et enarrando consilium sectaretur; pro varietate enim rerum varias quemque materias exponendas sibi elegisse. Ac primum quidem iam inde a Vergili obitu grammaticos crisin exercuisse veri est simillimum. Nam cum Vergili carmina, quae inde a primo saeculo a grammatistarum rhetorumque grege et in puerorum scholis studiosissime pertractabantur, ipsius poetae manu neglegentius scripta et inperfecta relicta essent, textus partim

ex scribarum incredibili oscitantia partim ex grammatistarum stupenda ignorantia, glossulis interpolamentis interpretamentis omnis generis in tironum usum oppletus est. Itaque Vergili carmina, ut mendis corruptelisque, quae paulatim inrepserant, purgarentur, iterum atque iterum recensenda erant. Nec defuerunt grammatici, qui in Vergili textum emendandum acerrime intenti sive ad lectiones traditas sive ad antiquos codices sive ad coniecturas recurrerent. Fortasse iam Q. Caecilius Epirota, qui teste Suetonio (gr. 16) 'primus dicitur latine ex tempore disputasse primusque Vergilium et alios poetas novos praelegere coepisse', in recensendo Vergilio elaboravit. Nec tamen illum edidisse vel reliquisse commentarios Vergilianos constat (cf. Ribb. proll. p. 114; Steup, de Probis p. 5 adnot. 4). De Hygino, qui criticum magni acuminis ingenii se praestitit, certiora nobis tradita sunt; correxit enim ex codice, quem ex domo atque ex familia Vergili esse adseveravit, ad Georg. II, 247, 'amaror' pro 'amaro' vulgatae scripturae. Idem ad Aen. XII, 121 'limo' a poeta relictum in 'lino' sano usus iudicio optime emendavit (cf. Ribb. l. l. p. 117). Singulis locis L. Annaeus Cornutus medellam adferre studuit; neque vero continuam eius recensionem agnoscere possumus (cf. Ribb. l. l. p. 127). Egregie Aemilius Asper critici munere perfunctus est, qui traditae lectionis tenacissimus erat (cf. Ribb. l. l. p. 129). Omnes autem superavit Probus, Romanorum Aristarchus, qui secundum Suetonium (gr. c. 24 p. 118 Reiff.) 'in proposito mansit multaque exemplaria contracta emendare ac distinguere et adnotare curavit'. Etiam Flavius Caper in libris quos conscripsit grammaticis de singulorum locorum lectionibus variis disseruit. Quem commentatorum numero L. Schopenus (in dissertatione de Terentio et Donato eius interprete Bonnae 1821 p. 40—42) et Ritschelius (Parerga p. 361—364) dudum exemerunt. Quantum Urbanus in restituendis Vergili carminibus praestiterit, in eius frustulorum paucitate nunc iam cognosci nequit. Flavio Capro adnumerandi sunt Verrius Flaccus, Velius Longus, Terentius Scaurus, Caesellius Vindex grammatici, qui non perpetuis, quos dicimus, commentariis Vergili carmina persecuti sunt, sed cum quaestiones grammaticas uberiores instituissent, ascitis Vergili potissimum exemplis, ubi res ferebat, de singulorum locorum textu constituendo disputaverunt. Hucusque de commentatoribus veteribus. Altera saeculi p. Chr. n. tertii parte dimidia Julius Haterianus, grammaticus haud contemnendus, Aeneidos textum emendavit, distinxit, illustravit. Initio saeculi quarti Aelius Donatus, quem Servius permultis locis impugnat, commenta Vergiliana conscripsit. Qui cum in primis artem criticam saepissime parum feliciter exercuisset, etiam a Ribbeckio (l. l. p. 179) suo iure vehementissime increpatus et turpis ignorantiae accusatus est. Praeterea multos alios grammaticos aut per commentarios sive quaestiones, ut Servium nostrum, aut per occasionem Vergili carmina a corruptelarum sordibus iudicando purgare studuisse non abhorret a simili

veri. — Ex his studiis criticis paulatim subnatae sunt quaestiones grammaticae. Nam quod Steinthalius (Geschichte der Sprachwissenschaft bei den Griechen und Römern, Berlin 1863) p. 377 de Graecis grammaticis profert: „Ursprünglich bemühete sich der alte Grammatiker um die kritische Sichtung der überlieferten Texte und um das sachliche und wörtliche Verständniss derselben, vor allen der Dichtungen. Solche Bemühungen nun konnten nicht ohne grammatische, ich meine: rein sprachwissenschaftliche Untersuchungen bleiben; und so entwickelte sich im Dienste der Interpretation und Kritik sehr allmählich diejenige Disciplin, welche heute Grammatik heisst" et p. 433: „Man wollte die berühmten Schriften, die unschätzbare Hinterlassenschaft der goldenen Vergangenheit, vollständig verstehen, geniessen und, da sie in ihrer Form mannigfach entstellt waren, kritisch auf die reine Urform zurückführen: das Eine wie das Andere aber zwang zu genauer Beobachtung des Wortes und der grammatischen Formen. Diese wurden ursprünglich in Anmerkungen zu den Schriftstellern bei Gelegenheit erklärt und erst in der zweiten Periode der grammatischen Thätigkeit also von der Zeit um Christi Geburt an begann die Zusammenstellung einer Grammatik, welche aber zunächst nur Elementar- und Formenlehre umfasste, zuletzt erst zur Syntax kam," (cf. l. l. p. 27) idem valet etiam de grammaticis atque interpretibus Romanis. At quaestionum, quae ad sermonis Vergiliani proprietates spectabant, grammaticarum origo etiam ex altera causa repetenda est. Nam licet sermo Vergili in universum non tanto opere sit mutatus, ut plurimorum verborum singularumque locutionum interpretatione opus esset, tamen ii, qui antiqua, qualis Vergili aetate floruerat, lingua et arte desueti nec bonorum grammaticorum disciplina satis imbuti erant, subtiliore et accuratiore indigebant explanatione. Accedit quod Quintilianus Vergilium antiquitatem adfectasse pluribus locis monet: cf. VIII, 3, 24: ‘Cum sint autem verba propria, ficta, translata: propriis dignitatem dat antiquitas. Namque et sanctiorem et magis admirabilem faciunt orationem, quibus non quilibet fuerit usurus, eoque ornamento acerrimi iudicii P. Vergilius unice est usus’ et VIIII, 3, 14: ‘Alia commendatio vetustatis, cuius amator unice Vergilius fuit’ et I, 7, 14: ‘Vergilius amantissimus vetustatis’; nec praetermittendus est Seneca Gellianus (cf. Gell. XII, 2, 10 t. II, p. 53 H.), qui cur Vergilius antiquitatem imitatus esset exponens haec dicit: ‘Vergilius quoque noster non ex alia causa duros quosdam versus et enormes et aliquid supra mensuram trahentes interposuit, quam ut Ennianus populus adgnosceret in novo carmine aliquid antiquitatis.’ Quae cum ita sint, non est cur miremur, quod idem Seneca epp. 58, 5, ubi de quibusdam antiquis vocibus et formis, quae etiam apud Vergilium inveniuntur, disputatur, haec dicit: ‘non id ago nunc hac diligentia ut ostendam quantum tempus apud grammaticum perdiderim, sed ut ex hoc intellegas, quantum apud Ennium et Accium

verborum situs occupaverit, cum apud hunc quoque (sc. Vergilium), qui cottidie excutitur, aliqua nobis subducta sint'. — Quamquam iam eo tempore, ex quo Vergili carmina publici iuris facta sunt, quasdam quaestiones grammaticas ab eius interpretibus institutas esse cogitari facillime potest, tamen, quoniam de illorum studiis nihil traditum est, M. Valerium Probum omnium grammaticorum primum — nam de Asinio Pollione Vergili interprete rem admodum lubricam et incertam esse Ribbeckius l. l. p. 114—117 docet et Julium Modestum atque L. Annaeum Cornutum sermonem Vergilianum perscrutatos scripsisse commentarios non nisi coniectura assequi possumus — in linguae Vergilianae proprietates acrius inquisivisse putabimus. Ac quaestiones quidem grammaticas modo breviores modo fusiores in Probi commentariis Vergilianis, quos Steupius (cf. p. 99—112) e sua ratione Valerio Probo iuniori tribuit, quominus exstitisse putemus nihil est quod impediat. Facillime enim fieri potuit, ut Probus in Aristarchi morem (cf. Steinthal l. l. p. 457) Vergili usum et sermonem commentariis sive quaestionibus illustraret. Quamquam, ut coniecturae indulgeamus, si Suetoni verba illa (cf. gr. c. 24): 'reliquit autem non mediocrem silvam observationum sermonis antiqui' ita interpretati, ut 'antiqui' vox e Suetoni non e Probi sententia posita sit, etiam ad Vergilium pertinere statuerimus, fortasse res ita explicanda erit: Probus, cum in scriptoribus edendis atque emendandis occupatus, ubi codicibus vel lectionibus antiquis aut aliis auxiliis destitutus erat, alia argumenta, quibus artem criticam fulciret atque firmaret, circumspiceret, re ipsa a crisi ad quaestiones grammaticas abreptus est. Observavit igitur auctorum quos tractavit, sermonis consuetudinem, si quid proprie vel nove vel antique dixissent. Nonne in talibus observationibus etiam Vergilio locum fuisse putabimus, quem antiquitatis amantissimum fuisse et supra vidimus et infra, ubi de singulis Servi adnotationibus grammaticis agemus, demonstrabimus? Mihi quidem perquam videtur simile veri Probum, cum scriptoribus inter se comparatis fusius de rebus grammaticis exponeret, etiam occasione oblata de rebus explicandis vel textu emendando disseruisse, id quod post eum etiam Caper fecit, qui libros tantum grammaticos conscripsit. Haec coniectanea, quae Probus Suetonio teste reliquit, non edidit, variis additamentis aucta et suppleta Probo mortuo eius amici familiaresque ediderunt. Hinc fortasse fluxerunt commentarii omnium quorum Probus in observationibus illis rationem habuit, auctorum. Sed nolo amplius hariolari; tota enim res Probiana nunc iam difficilis est diiudicatu nec nitidissima Steupi dissertatio ei omnibus ex partibus novum lumen attulit. Iam omnia, quae huc pertinent, enarrare non est huius loci; omnia enim retractanda essent, quae Steupius et alii de Probo docte atque diffuse dixerunt. Quae ratio intercedat inter Probum et commentarium Probi nomine inscriptum, qui ad nos pervenit, quomodo statuam ambigo, quamquam concedo

facillime fieri potuisse, ut, postquam quaestiones grammaticae in grammaticorum libros receptae sunt, reliquae adnotationes, quae ad rerum explicationem atque ad lectiones varias pertinerent, variis modis amplificatae in commentarios quos nunc habemus redigerentur. De singulis Probi nominis commemorationibus, quae nobis apud Servium obviam fiunt, infra disputabimus. Probum secutus Aemilius Asper uberrimas quaestiones de sermone Vergiliano instituit, ita ut eas non commentario insereret, sed singulari libro, qui 'quaestiones Vergilianae' sive 'grammatica Vergiliana' inscriptus erat, comprehenderet. Qualem grammaticum Asper se praestiterit, infra elucebit. Flavium Caprum non iusti commentatoris munere functum esse iam supra monuimus. Laudavit ergo, qui fuit mos omnium tum temporis grammaticorum, saepius versus Vergilianos, quorum auctoritate linguae leges ab ipso propositas firmaret. De eius studiis suo loco tractabitur. Egregiam operam et praeclarum studium Velius Longus in Vergili Aeneidem contulit, de quo Gellius (XVIII, 9, 4 t. II, p. 212 H.) ita disputantem facit doctum quendam: 'Velio Longo, non homini indocto, fides est habenda, qui in commentario quod fecit de usu antiquae locutionis, scripserit non 'inseque' legendum apud Ennium, sed 'insece'. Reliquit autem libellum satis bonum de orthographia compositum, quem Putschius edidit. Exemplorum, quae ibi adferuntur, magnam partem ex Vergili carminibus depromptam esse animadvertendum videtur. Quanta eius in Vergilium merita fuerint, ex eius reliquiis apud Charisium et auctorem scholiorum Veronensium servatis conligi potest. Charisius p. 175, 14 K. haec habet: 'amavere pro amaverunt, docuere — dixere — muniere — quam figuram alii duplicem existimant, de qua etiam Velius Longus in II Aeneidos satis commentatus est: Conticuere omnes intentique ora tenebant.' Ribbeckius l. l. p. 169 cum hac Charisi doctrina optime ea contulit, quae Servius ad Aen. II, 1 habet: 'Conticuere omnes; 'conticuere' autem pro 'conticuerunt', quod metri causa fit vel ratione clausularum. Nec est, ut quidam dicunt, dualis numerus, qui apud Latinos numquam penitus invenitur.' Neque vero Ribbeckio Servium haec Velio Longo debere concesserim; immo hac ipsa Veli Longi commemoratione Charisiana nihil aliud probatur nisi hoc: simulatque eius quaestiones uberiores de Vergili lingua institutae in grammaticornm libros transmigraverint, omnes adnotationes, quibus fusius de verborum formis ageretur, quippe quae libris grammaticis, non commentariis convenirent, ex commentariis Vergilianis extrusas esse. Exposuit deinde Longus ad Aen. V, 380 (cf. Charis. p. 113, 29 et Exc. Charis. p. 556, 22) de 'alacris' nominativo singulari et de adverbiis in 'ter' syllabam exeuntibus; denique ad Aen. II, 79 (cf. Charis. p. 210, 7) quaedam de 'primum' voce adnotavit. Contulit praeterea Ribbeckius l. l. p. 170 quattuor commemorationes Longi, quae in scholiis Veronensibus exstant, cum Servianis et Servi doctrinam inde fluxisse dubitanter adfirmavit; at

ego ullam inter utriusque explicationes similitudinem dispicere non possum. Hadriano imperante Q. Terentius Scaurus, grammaticus celeberrimus, licet egregium in Aeneidem commentarium confecerit, tamen in aliis potissimum libris quos scripsit, velut in 'arte grammatica' (cf. Charis. p. 133, 1. 136, 16.) vel in 'commentariis in artem poeticam' (cf. Charis. p. 202, 26) vel in coniectaneis 'de Caeselli erroribus' (cf. Gellius XI, 15, 3 t. II p. 43 H.) de linguae Vergilianae genere et proprietate multa quaesivit. Itaque Ribbeckius l. l. p. 172 libenter concedit 'Scaurum Vergili exemplis usum quae in ipso Aeneidos commentario proposuerat vel ubi res ferebat, supplevisse ampliore disputatione vel obiter tetigisse. Unde factum esse ut ne eorum quidem quae Charisius et Diomedes ex illis in artem poeticam libris attulerunt, umbra in Servi scholiis evanuerit.' Julium Haterianum (cf. Ribb. l. l. p. 177), qui Aeneidos textum et emandavit et distinxit et illustravit, Vergili sermonem tractasse, ex mutilo illo scholiorum Veronensium loco ad Aen. X, 242: 'Igni enim ablativus casus . . . .' concludi nullo modo potest. Valde autem dubium est, num Aelius Donatus, grammaticus a Servio proximus, quem amplissimos in Vergili carmina commentarios composuisse constat, etiam in Vergili lingua explananda quidquam praestiterit. Nam in artibus, quae aetatem tulerunt, haud ita multa antiquae doctrinae vestigia comparent neque est, unde concludi possit, illas olim pleniores quam nunc sunt, vel aliter, quam in optimis codicibus scriptae sunt, dispositas fuisse (cf. Keil, gr. L. t. IIII p. XXXVI). Cum autem saepius Donatus cum Charisio et Diomede ita consentiat, ut hi uberiora quam ille praebeant, hic consensus ex communibus fontibus explicandus est. Denique commemorandus est Carminius. Scripsit librum 'de elocutionibus', quo Vergili auctoritatem saepius laudavit et de Vergili sermone iudicavit. Praeter hos commentatores, qui Vergili carminibus propriam et singularem operam navaverunt, etiam inde a primo saeculo grammaticos in Vergilio non mediocriter versatos esse Quintilianus testis est luculentissimus, cuius placita grammatica, quae primo institutionis oratoriae libro inseruit, Vergilianis potissimum exemplis nituntur. Caesellius Vindex in commentariis suis lectionum antiquarum sive in stromateo, cum de vetere quintae declinationis genetivo singulari exponeret etiam Vergili ratione habita, in versu illo G. I, 208 haec legit secundum idiographum Vergili librum, ab ipso inspectum: 'Libra dies somnique pares ubi fecerit horas' pro 'diei', at Aen. I, 636: 'Munera laetitiamque dii' pro 'diei' (cf. Gell. VIIII, 14 t. I p. 249 H.). Simili ratione usus C. Sulpicius Apollinaris in quaestionibus quas edidit epistulicis Vergilianum potissimum sermonem tractavit. Quin etiam Verrium Flaccum Augusteae aetatis grammaticum nobilissimum ad Vergili carmina respexisse ex eius reliquiis perspicitur; multi enim loci ex Vergili omnibus carminibus laudantur. Accedit quod Verri memoria et apud interpolatorem Servi et in scholiis Vero-

nensibus saepius nobis occurrit; ex quo Ribbeckius (l. l. p. 77) Verrium ipsius Vergili locos quosdam illustravisse non sine magna verisimilitudinis specie concludit. Etiam apud Servium nostrum ad Aen. VIII, 423 praeclarus locus exstat, ubi haec leguntur: 'Hoc tunc; i. e. huc tum; et 'hoc' pro 'huc' posuit secundum antiquum morem. Nam antea 'hoc' adverbium loci fuit, quod nunc abolevit. Nam crebro in antiquis lectionibus invenitur, sicut in epistolis probat Verrius Flaccus exemplis, auctoritate, ratione dicens: in adverbiis 'o' pro 'u' plerumque maiores ponere consuetos: et sic 'hoc' pro 'huc' veteres dicere solebant, sicut 'illo' pro 'illuc' dicimus. Unde etiam 'hoc', 'o' longum esse apparet, sicut 'illo' dicimus, quod pro 'illuc' dicitur.' Hunc locum ex grammatici cuiusdam, Capri ni fallor, copiis, non ex commentariis a Servio in suos libros translatum esse non puto longa disputatione confirmandum esse. Omnino, cum Vergilius a primo imperatorum saeculo usque ad ultimam vergentis imperii Romani aetatem longo docentium et discentium usu tritus fere solus in scholis regnaret, grammaticus Latinus Graecorum in modum, qui ab Homero proficisci solebant, non poterat non a Vergilio, in quo omnis scholarum institutio versabatur, materiam quaestionum quas instituit petere. Quid quod tam frequens Vergili memoria apud veteres auctores est, ut, etiamsi continui carminum Vergilianorum versus plane interiissent, ex illa maximam eorum partem retexi posse iudicet Ribbeckius (l. l. p. 203)? Quamvis enim, quo plures nostrae aetatis viri docti in singulorum grammaticorum fontibus indagandis elaborant, eo magis quanto opere alter ex altero pendeat eluceat, tamen in tanta Vergilianae lectionis frequentia nemo tam indoctus sibi videbatur, quin ipse unum vel alterum Vergili exemplum adderet. Itaque non mirum, quod iam Q. Remmius Palaemon, primi imperatorum saeculi grammaticus doctissimus nec non arrogantissimus, quem primum iustam quae vocatur artem scripsisse viri docti statuunt, in libris suis grammaticis inter pauca Terenti Horati Sallusti Livi Catulli exempla in primis Ciceronis Vergilique testimonia adtulit (cf. Schottmüller, de C. Plini Secundi libris gramm. t. I, Bonnae et Lipsiae 1858 p. 12). Insequentibus saeculis grammaticorum atque grammatistarum grex veterum ampla studia magis magisque coartavit. Quo factum est, ut summa illa atque praeclara lectionis antiquae, qua veteres grammatici excellebant, copia, quippe quae in libris scholarum usui destinatis molesta atque fastidiosa esset, a noviciis artigraphis praecideretur et canon quidam paucorum scriptorum, quorum auctoritate placita grammatica stabilirentur atque illustrarentur, instituereturet. Atque complectebatur canon iste (cf. Schottmüller l. l. p. 27) Vergilium Ciceronem Terentium Horatium Sallustium Persium alios quosdam ita tamen ut Vergiliana testimonia omnium plurima adhiberentur. Vergilius ipse omnibus grammaticis usque ad Bedae aetatem tam notus erat, ut illi eum solo 'poeta' nomine nuncuparent. Haec de commentato-

rum et grammaticorum studiis grammaticis, in Vergilio positis. — Iam venimus ad eos, qui Vergili sententias sive locutiones philosophiae vel geographiae vel historiae vel alius disciplinae ratione habita commentati inlustraverunt. Primus, cuius adnotationes nobis servatae sunt, Julius Hyginus est, quem etiam artem criticam exercuisse supra monuimus. Eum in primis omnia insectatum esse, quae Vergilius inperfecta reliquisset vel quae parum feliciter instituisset, reliquiae, quae exstant, testantur (cf. Ribb. l. l. p. 119). Etiam reliqua eius opera velut ea quae 'de situ urbium italicarum' et 'de familiis troianis' scripsit, quae Servius pluribus locis laudat, a commentatoribus cupide arripiebantur. Huc referendus est et Julius Modestus, Hygini et libertus et discipulus, quem in commentariis sive in quaestionum confusarum libris Vergili carmina inlustrasse licet conicere (cf. Ribb. l. l. p. 121). Hygini rationem secutus est L. Annaeus Cornutus; collegit et examinavit ea, quae poeta minus veri similia finxisse videretur; abiecta, sordida, indecora acerrime castigavit (cf. Ribb. l. l. p. 125). Novam atque claram praeclaramque lucem Aemilius Asper attulit Vergili carminibus intellegendis, cuius egregia commenta temporum iniuria periisse magno opere est dolendum. Interpretem in primis egit, qui licet historiae geographiae philosophiae ratione habita poetae artem subtili atque eleganti sensu explicaret, tamen non tanta Vergili admiratione captus esset, ut vel apertissima poetae vitia excusaret, sed, ubi poetam errasse animadvertit, leniter vituperaret (cf. Ribb. l. l. p. 132—135). In Probi commentariis sive quaestionibus Vergilianis crisis et explanatio grammatica ita videntur praevaluisse, ut de vocabulorum vel sententiarum vi atque significatione nusquam ille dissereret, nisi ubi ad textum vel emendandum vel constituendum vel destinguendum opus esset. Idem etiam magis de Flavio Capro valet. De Urbano certi quidquam statui nequit; eum non minus in rebus explicandis quam in textu emendando versatum esse Ribbeckio l. l. p. 168 probatur. Velius Longus in Probi et Capri morem, cum de Vergili rebus maxime grammaticis fusius quaereret, rerum et verborum interpretationem sibi adlegasse videtur adiutricem. Tertio saeculo Julium Haterianum Vergili carmina inlustravisse paucula eius frustula, ab auctore sive auctoribus scholiorum Veronensium servata comprobant. Omnibus iusti interpretis officiis Aelius Donatus perfunctus est. Multae eius commemorationes per Aeneidos Bucolicon Georgicon libros dispersae in scholiorum farragine, quae Servi nomen prae se fert, leguntur. Et si Servio, qui eum fere omnibus locis impugnat, fides habenda est, ille revera saepissime argutatus multa absurda atque futtilia, quae eum summae et neglegentiae et inscitiae arguunt, protulit. At Ribbeckius mihi valde probavit, quod l. l. p. 184 ad doctos subtilesque eiusdem grammatici commentarios Terentianos respiciens in Vergilianis quoque commentis multo plura quae bonae frugis essent infuisse persuasum habet. Nec quidquam habet offensionis, quod

Servius, qui nec omnia Probi vel Aspri comprobavit, Donatum saepius increpat; immo facillime fieri potuit, ut Servius licet plurima ex Donati, qui haud ita multum ab ipso aberat, amplis commentariis hauserit, tamen ubicunque eius vitia deprehenderet, Donati reprehendendi occasionem avidissime arriperet, quo magis Donati commentarii, quorum usus atque lectio illo tempore frequentes erant, obscurarentur, ipsius commenta celebrarentur atque divulgarentur. Restat, ut paucis de Carminio commentatore absolvam, cuius liber de Italia multa videtur continuisse, quae ex Vergili carminibus deprompta essent. Ut autem ab illo etiam carmina ipsa illustrata esse putaret, sola una de Marcello adnotatiuncula ad Aen. VI, 862 (cf. Serv. l. l.) Ribbeckius, cui prorsus adsentior, commotus est, ubi haec habentur: 'Egregium forma iuvenem et fulgentibus armis; tria sunt secundum Carminium: pulchritudo aetas virtus. Significat autem Marcellum filium Octaviae sororis Augusti etc.' Huic commentatorum grammaticorumque gregi pauci addendi sunt, qui singula argumenta Vergiliana tractaverunt. Cornelium Celsum, Hygini discipulum in re rustica admodum versatum ad Georgicon saltem libros composuisse commentarios Ribbecki valde probabilis est coniectura (cf. l. l. p. 26). L. Varius, 'Vergilii contubernalis,' commentarium scripsit 'de ingenio moribusque Vergili', in quo quae de poetae vita atque carminibus scitu dignissima essent exposuit. Hoc commentario Q. Asconium Pedianum, a quo librum contra obtrectatores Vergili scriptum esse constat, usum esse Ribbeckius l. l. p. 89 opinatur. Adnotatiuncula quaedam de Vergilio a Melisso quodam in Donati vita Vergili (16, 27 p. 58, 5 R.) nobis traditur (cf. Teuffel, L.-G.^{2} § 239, 2 p. 493). Ceterum plures Vergili amici familiaresque de eius vita pauca scripsisse traduntur. Rufus Festus Avienus (cf. Serv. A. X, 272. 388. G. I, 488. cf. Ribb. l. l. p. 187) fabulas a poeta narratas, ut Ribbeckius probavit, versibus iambicis non tam retexisse, quam adhibitis antiquioribus auctoribus amplificasse videtur. Iam restat, ut obtrectatores Vergili enumeremus, quorum notitiam maxima ex parte Donato debemus. Atque num Bavius, Mevius, Anser quidquam scripserint vel scriptum reliquerint, valde dubium est; Numitorius quidam Antibucolica scripsit; Carvili Pictoris liber 'Aeneomastix' inscriptus a Donato affertur; fortasse idem liber est atque is, quem Servius titulo 'Vergiliomastix' ad Aen. V, 521. Ecl. II, 23 inscripsit. Herennius quidam de vitiis, Perellius Faustus de furtis Vergili tractavit; Q. Octavius Avitus autem homoeon elenchon octo voluminibus quos et unde versus poeta transtulisset quaesivit. Eius generis studiorum permultae in Servianis scholiis reliquiae latent. Saepissime enim scholiasta, ubi prorsus eadem vel similia inveniantur quosque auctores poeta imitatus sit monet; exempli gratia pauca hic ponimus; legimus Aen. I, 96 secundum Homerum; II, 197. III, 98 sane hic versus Homeri est; III, 429 Quo sermone etiam Homerus in simili utitur significatione; IIII, 496 Hoc autem tractum est de Homero; V, 85 de Homero

sumpsit; V, 517 sciendum hunc totum locum ab Homero esse sumptum; V, 556 et sermone Homeri usus est; V, 808 Omnia haec Homeri sunt; VI, in. Et Homerus sic inchoavit; VI, 66 σπέρματα πυρὸς Homerus dixit; VI, 149 quod in Homero, quem Vergilius sequitur, lectum est; VI, 366 eundem sermonem habet Ulysses; VI, 432 quod ei epitheton et Plato et Homerus dat; VI, 468 Tractum autem est hoc de Homero; VI, 532 sciendum tamen Homericum esse; VI, 625 Lucreti versus sublatus de Homero; VI, 894 Est autem in hoc loco Homerum secutus; VII, 550 Homeri epitheton; VIIII, 274 ab Homero τέμενος dicitur; VIIII, 679 comparatio ex Homero; X, 270 Est autem Homeri et locus et comparatio; XI, 4 Homerus ῥοδοδάκτυλος ἠώς; XI, 183 Homerus δειλοῖσι βροτοῖσι; XI, 246 de qua Homerus Ἄργεος ἱπποβότοιο; XI, 329 nam H. νήϊον dicit; XI, 483 haec autem omnis oratio verbum ad verbum de Homero translata est; XI, 492 et haec comparatio Homeri est verbum ad verbum translata; XI, 739 sicut Homerus μάντι κακῶν; XI, 751 Homerica comparatio; XI, 801 Homerus: ποιμένα λαῶν cf. XII, 587; XII, 67 Homeri comparatio; XII, 84 Homeri versus verbum ad verbum; XII, 116 Totus locus de Homero translatus est; XII, 206 Homeri locus verbum ad verbum; XII, 691 συρίζουσα λόγχη; XII, 725 sciendum locum hunc a Vergilio ita esse translatum, ut in Homero lectus est; XII, 896 Homeri totus hic locus est; XII, 908 Homeri comparatio. Ecl. II, 20 secundum Homerum, qui ait καὶ γάλα λευκόν; G. I, 383 et est Homericus versus, G. IIII, 233 Homeri est: παρ' Ὠκεανοῖο ῥοάων; G. IIII, 261 tres comparationes singulis impletae versiculis, de Homero translatae sunt, quas ille binis versibus posuit. — A. I, 132 secundum Hesiodum; VIII, 314 secundum Hesiodi theogoniam; G. I, 175 totus autem hic locus de Aratro Hesiodi est; G. I, 245 Hesiodus ποταμῷ ῥέοντι ἐοικώς. — A. III, 209 Apollonius etc., quem in XII. Vergilius sequitur; IIII, 1 Apollonius Argonautica scripsit et in tertio inducit amantem Aeneam. Inde totus hic liber translatus est; V, 426 Est autem hic locus de Apollonio translatus; VIII, 19 V. praeoccupat comparationem, quae est Apollonii; XII, 749 comparatio Apollonii; XII, 753 et hi duo versus verbum ad verbum sunt translati de Apollonio. — Bucol. III, 60 Est autem Arati, qui ait etc.; G. I, 354 Etiam hoc loco prognostica sunt translata de Arato, pauca de multis; G. II, 537 Arati est hoc qui dicit etc. — Ecl. II, 21 Mille meae Siculis erant in montibus agnae. Theocritus ἀλλ' οὗτος τοιοῦτος ἐὼν βοτὰ χίλια βόσκω; Ecl. II, 25 Theocritum secutus est, qui hoc dicit de Cyclope: ἦ γὰρ etc.; II, 63 Theocriti sunt isti versus; IIII, 1 Nam Theocritus Syracusanus fuit, quem in hoc opere Vergilius imitatur, ut diximus supra; V, 32 locus Theocriti est; VI, 1 imitari Theocritum Syracusanum et bucolica scribere; VII, 1 Ecloga haec paene tota Theocriti est; VIII, 1 apud Theocritum est una ecloga, quae appellatur φαρμακεύτρια etc., quam Ver-

gilius transtulit ad huius eclogae ultimam partem; VIII, 21 fecit autem hunc versum ad imitationem Theocriti, qui frequenter dixit; VIIII, 1 de diversis locis Theocriti aliqua ad eam (sc. eclogam) contulit; VIIII, 23 Theocriti versus ad verbum translati; VIIII, 39 Theocriti versus sunt; X, 7 Simae; Graecum est nomen etc., quod epitheton Theocritus dat praecipue apibus; X, 8 quaedam Theocriti ecloga etc. Huius omnem ordinem ad hanc eclogam transtulit etc. G. I, in. Vergilius in operibus suis diversos secutus est poetas etc. Theocritum in Bucolicis, a quo non longe abest etc. — A. I, 26 de Ennio transtulit; II, 241 versus Ennianus; II, 274 Ennii versus; IIII, 404 Hemistichium Ennii de elephantis dictum, quo antea Attius usus est de Indis; VI, 219 versus Ennii qui ait; VI, 686 genis; palpebris Ennius de dormiente: 'Imprimitque genae genam'; VI, 748 est autem sermo Ennii; VIII, 631 Sane totus hic locus Ennianus est; VIII, 38 Et est Ennianum, qui ait etc.; VIIII, 165 et est hemistichium Ennianum; VIIII, 503 hemistichium Ennii. Ille enim ait etc.; VIIII, 678 ut Ennium sit secutus; X, 5 est autem sermo Enniamus; XI, 27 Ennii versus est; XI, 601 est autem versus Ennianus vituperatus a Lucilio etc. XI, 608 et Enniana est descriptio; XII, 115 Ennianus versus est; XII, 552 hemistichium est Ennianum. — A. I, 140 'Saxa' de Pseudolo Plauti tractum est, ubi ait etc.; IIII, 484 secundum Plautum; III, 42 est sermo Plautinus; IIII, 82 est autem Plauti etc.; VI, 90 est autem verbum Lucilii et antiquorum, ut Plautus etc. — A. I, 181 Et usus est hoc genere locutionis, quo et Terentius, qui dixit etc.; IIII, 534 est autem comicum principium; sic Terentius etc. — A. VI, 90 Est autem verbum Lucilii; VIIII, 227 Lucilii versus est; nam ille ait etc.; X, 104 totus hic locus de primo Lucilii translatus est; X, 532 ut apud Lucilium et Ennium invenitur; G. II, 98 de Lucilio hoc tractum est, qui ait χἰός τε δυνάστης, i. e. οἶνος. — A. II, 557 Quod autem dicit 'Litore', illud, ut supra diximus, respicit, quod in Pacuvii tragoedia continetur; A. IIII, 473 a Pacuvio Orestes inducitur etc. Hinc ergo est 'sedent in limine'; XI, 259 est autem Pacuvii qui ait etc. — A. I, 743 secundum Lucretium; VI, 11 secundum Lucretium; VI, 625 Lucretii versus, sublatus de Homero. G. II, 44 Lucretii versus; G. II, 152 et est Lucretii sermo; G. II, 247 et est sermo Lucretii; G. III, 293 Hic autem locus totus de Lucretio translatus est; G. III, 481 ordinem secutus est, quem et Lucretius tenuit et Sallustius; G. IIII, 219 Lucretium secutus est qui dicit etc. — Aen. III, 284 secundum Ciceronis Hortensium; III, 376 Definitio fati secundum Tullium qui ait etc. III, 600 et est sermo Ciceronis; IIII, 20 secundum Ciceronem; V, 546 secundum Tullium qui dicit etc.; VI, 877 est autem Ciceronis in dialogo; VIIII, 254 Ciceronis est; Ecl. V, 36 Ciceronis exemplo, qui ait etc.; G. I, 165 secundum Tullium; G. II, 499 Ergo aut secundum Ciceronis tractatum hoc dicit etc. — Investigatores autem illi quos descripsimus quam

accurate atque diligenter egerint, inde cognosci facile potest, quod nec ea indicare neglexerunt, ubi poeta cum auctoribus non totus consentit vel ubi pauca leniter mutavit vel ubi prorsus diversa exhibet, ut A. I, 51 Legerat (sc. Vergilius) apud Ennium: 'Furentibus ventis'; sed quasi asperum fugit et posuit 'Austris' pro 'ventis'; A. I, 742 Ideo dixit 'Solis labores etc.'. Nec nos debet Homerus movere, qui ait ἥλιον ἀκάμαντα etc.; I, 267 ab hac autem historia ita discedit Vergilius, ut etc.; III, 600 Spirabile etc.; et est sermo Ciceronis, quamquam ille spiritabile (al. spiritale) dixerit in libris de Deorum natura; II, 687 contra opinionem Theocriti, qui cum fulmine caecatum fuisse commemorat; VII, 622 acyrologiam fecit commutando Ennii versum. Nam ille ait etc. VII, 803 prudenter post impletam commemorationem virorum transit ad feminas etc. Quae res ab Homero praetermissa est; G. II, 44 Lucretii versus. Sed ille 'aenea vox' ait, non 'ferrea'. Ecl. II, 23 Lac mihi etc.; multo melius quam Theocritus; ille enim ait etc.; Ecl. II, 51 Et verecunde rem inhonestam supprimit, quam Theocritus aperte commemorat; Ecl. III, 8 suppressit verecunde, licet Theocritus aperte ipsam turpitudinem ponat et exprimat.' — Neque vero ii tantum auctores, quos Vergilius imitatus esset, sed ex altera parte etiam ii, qui ipsum Vergilium compilassent, ab eius generis viris litteratis quaerebantur. Hinc fit, ut Lucani, Stati aliorum memoria apud Servium nobis obvia sit, ut A. III, 661 hinc Quintilianus dixit etc.; A. VI, 565 Unde ait Statius VII, 499 hinc et Juvenalis; VIIII, 497 hinc traxit illum colorum Juvenalis; XI, 608 hinc traxit Statius, ut diceret etc. Et haec exempli gratia sufficient.

Iam hoc loco quaerendum est, quos et quot Vergili commentatores Servius noster legerit vel appellaverit. Et circumspicientibus nobis, quibus in commentatoribus in primis Servius studia collocaverit, caute progrediendum est, quod fieri non potuit, quin, quo doctior videretur, libenter ex commentariis eos exscriberet locos, in quibus aliorum scriptorum dicta laudantur. Haec autem nomina nobis apud Servium occurrunt: Asinius Pollio, C. Julius Hyginus, L. Annaeus Cornutus, Aemilius Asper, M. Valerius Probus, Flavius Caper, Urbanus, Q. Terentius Scaurus, Aelius Donatus, Carminius, Avienus. Nemo est, quin intellegat, Servium plerosque non ipsum inspexisse, de quibusdam fortasse nihil nisi nomina comperta habuisse. Eadem enim lex, quae etiam nostra aetate de omni litterarum genere valet, et de Servio valet. Cum per quattuor saecula tot viri docti Vergili carminibus intellegendis, explanandis, emendandis operam dedissent, unum quemque commentatorem neglectis iis, quae priores interpretes praeclare et sagacissime excogitassent, totam rem de integro tractare exorsum esse aegre mihi persuadere possum. Immo res isto modo se habuit: Commentatores Vergili iis adnotationibus priorum interpretum, quae bonae frugis essent, in ipsorum commentarios translatis, ipsi, prout studiorum atque eruditionis ratio eius qua florebant

aetatis poscebat, multa de suo addiderunt. Nimirum ut quisque a Vergilio longissime aberat, ita eius interpretatio, fastidita et neglecta antiquae doctrinae copia, ad volgares atque adeo tritissimas res explicandas deflectebatur. Hinc nihil frequentius in nostris scholiis factum vides, quam ut docta atque antiqua interpretatio cum vilissimarum rerum explanatione intra unam pagellam consociata conspiciatur. Itaque veteres illi commentarii, cum in novissimorum interpretum libros recepti essent, quoniam nec legebantur nec intellegebantur, paulatim abolebantur nec illi ipsi, sed commemorationes tantum ex illis depromptae ad posteros devenerunt, quamvis multi se veterum auctorum commenta inspexisse gloriarentur. Atque etiam Servium nostrum non omnium quos laudat commentatorum libros inspexisse vestigia quaedam certa atque manifesta, quae in ipso opere deprehenduntur, indicare mihi videntur. Pluribus enim locis duorum vel adeo trium commentatorum Servius facit mentionem. Julius Hyginus saepius a Servio citatur; valde autem est dubium, num noster eius libros quos de Vergilio fecit noverit, ne dicam inspexerit, cum omnes Hygini commemorationes ad libros, quos 'de familiis Troianis' et 'de situ urbium italicarum' conscripsit referendas esse cum verborum sententiae tum tituli a Servio adpositi moneant. Quas unde Servius hauserit quaerere a nostro instituto alienum est. Unus tantum locus ad commentarios Hygini Vergilianos spectat; legimus enim ad Aen. XII, 120 haec: ''Velati lino' etc. Caper tamen et Hyginus hoc loco dicunt lectionem esse corruptam; nam Vergilium ita reliquisse confirmant: 'Velati limo' etc.'. Hanc adnotatiunculam criticam a Servio non ex Hygini, sed ex Capri, qui illius commenta in suum usum convertit, copiis haustam esse veri est simillimum, praesertim cum artem criticam et verborum interpretationem ab huius grammatici indole non alienas esse supra memoraverimus. Et animadvertas, quaeso, etiam hoc loco Hyginum post Caprum perverso ordine esse laudatum. Adiciat fortasse quispiam duos praeterea locos: Aen. II, 15, ubi haec habentur: 'equum; de hoc equo varie in historiis lectum est', ut Hyginus [et Tubero] dicit', et ad Aen. VII, 47: 'Sane Hesiodus Latinum Circes et Ulixis filium dicit. Quod et Vergilius tangit dicendo (XII, 164): 'Solis avi specimen.' Sed quia temporum ratio non procedit, illud accipiendum est Hygini, qui ait Latinos plures fuisse, ut intelligamus poetam abuti, ut solet, nominum similitudine.' At illi adnotationi in Hygini libris historicis, velut quos 'de familiis troianis' scripsit, huic in 'Genealogiarum' libris locum fuisse quis negaverit? Annaei Cornuti Servius duobus tantum locis memor est: Aen. I, 488 et VIIII, 675; cum vero altero loco Cornuti nomen cum Donati commemoratione coniunctum legatur, Cornuti memoriam Donato deberi suspicio est proclivis. Nec iis quindecim locis, ubi Aemilius Asper a Servio laudatur, desunt indicia, quae Aspri memoriam non ex ipsis eius libris, sed ex Donati commentario haustam esse nobis suspicio-

nem moveant. Invenimus enim ad Aen. VII, 543 haec: 'Probus Asper Donatus dicunt hoc loco 'per' bis accipiendum' et ad G. II, 324 'Vere tument terrae; Asper simpliciter accipit, ut 'terrae' nominativus pluralis sit; Donatus vero 'terrae' genetivum vult esse singularem etc.'. Similis ratio cadit in Probum; nam legimus ad Aen. VI, 177 Probus tamen et Donatus; VII, 543 Probus Asper Donatus dicunt etc. VIII, 406 Probus vero et Carminius; X, 539 Asper sic legit etc.; Probus vero dicit etc. Q. Terentius Scaurus semel tantum (ad Aen. III, 484) commemoratus est, quae res Servium illius libros non legisse documento est; nam si Terenti amplas quaestiones ipse legisset, plura certe inde decerpsisset. Omnibus his locis nihil aliud probari videtur nisi Servium, a quo auctorum dicta vel sententias, quae ab auctoribus suis mutuatus est, ita interdum laudari animadvertimus, quasi ipse legisset, vetustiorum commentatorum notitiam non ex ipsis eorum libris, sed ex Donato vel Carminio vel Urbano hausisse. Quid enim? Num Servium, si Probi Aspri aliorum memoriam apud Donatum vel Carminium aut Urbanum invenit, praeterea etiam istorum commenta adiisse putabimus, an Servium priorum interpretum rationem habuisse, reliquos commentatores non habuisse nobis persuadebimus? Itaque Servio horum tantum trium commentatorum Aeli Donati, Urbani, Carmini libros ad manus fuisse contendere non dubitamus, quibus reliquorum commentatorum commemorationes debuit. Contra Servius e sua lectione multorum auctorum vetustiorum, quos haud dubie perlegit, in primis Suetoni, Capri, Gelli dicta et testimonia suis commentariis inseruit. Quorum commemorationes eo satis insignes sunt, quod pleni librorum tituli accuratissime adferuntur, ut Aen. VII, 612: Suetonius in libro de genere vestium dicit; A. V, 602 Troiaque etc., ut ait Suetonius Tranquillus: 'Lusus ipse etc.', cuius originem expressit in libro de puerorum lusibus; A. VII, 627 Arvina; secundum Suetonium in libro de vitiis corporalibus; Ecl. III, 8 secundum Suetonium Tranquillum in vitiis corporalibus; A. VI, 799 Nam et Suetonius ait in vita Caesarum etc. — Aen. X, 344 Licet Caper in libris enucleati sermonis dicat 'femen' etc.; A. X, 377 Caper tamen in libris dubii generis probat dici etc. — A. V,738 haec autem plene exsequitur et Cicero in Auguralibus et Aulus Gellius in libris noctium Atticarum. — Ex horum igitur amplissimis copiis Servius multa bonae atque antiquae doctrinae testimonia pretiosissima in suos commentarios transtulit. Quare in nostris scholiis Servianis multa illorum auctorum fragmenta latere auguror. — Haec omnia disputavimus, unde nobis adminiculum quoddam accresceret, quo innisi iam certius, quibus auctoribus grammaticis Servius esset usus, disceptare possemus. Iam enim id maxime quaeritur, commentatoribusne an grammaticis noster adnotationes suas grammaticas debeat. Atque dum Servi commenta ipsa considero atque perlustro, facillime in eam adducor sententiam, ut plurima eius placita grammatica, praesertim ubi fusiores quam quae

commentariis conveniant quaestiones de sermone Vergiliano instituit, ex libris grammaticis hausta esse putem. Etenim si rerum enarratio et verborum explanatio grammatica commentatori nunquam magis curandae sunt, quam ad scriptoris verba plane inlustranda atque intellegenda necessarium est, Servium profecto permultis locis commentarii fines egressum, grammaticum, non commentatorem egisse nobis confitendum est. Sane saepenumero Servius ita disputat, ut non tam ipsius de qua agitur vocis formam explicare quam occasionem uberius et copiosius de tota lege grammatica disputandi cupide arripere videatur. Exempla plurima praesto sunt. Ad Aen. XI, 801 'auras' vox in lemmate posita ad veterem primae declinationis genetivum singularem spectat; Servi vero adnotatio praemissis paucis de vetere illo genetivo in 'paterfamilias' et 'materfamilias' vocum variis vicissitudinibus explicandis versatur A. III, 475 Anchisa vocativus singularis legitur; Servius data occasione totam regulam de Graecorum 'es' nominativo singulari finitorum nominum vocativo Graeco et Latino repetit; A. I, 374 ad 'vesper' vocem Servius graeca nomina 'oc' finita aut in 'us' aut in 'er' aut in utrumque nominativo singulari exire adnotat. A. VIII, 77 ubi 'fluvius' vocativus antiquus memoratur, omnes vocativi singularis secundae declinationis terminationes enumerantur et explicantur. — A. I, 587 'nubes' in lemmate positum est; hoc loco una de hisce vocibus disseritur: de 'nubs' et 'nubes', 'trabs' et 'trabes', 'stirps' et 'stirpes', 'prex' et 'preces', 'plebs' et 'plebes', 'supellex'. — A. XI, 487 'Thorax' vox ansam dat de mensura genetivi singularis Graecorum nominum 'ax' finitorum pluribus disserendi. Idem valet de Aen. II, 69 ubi sub voce 'tellus' plura de tertiae declinationis 'us' finitis nominibus proferuntur. — A. I, 323, A. IIII. 402, A. III, 390 fusius de nominum monosyllaborum ratione exponitur. — A. VII, 231 et A. I, 149. II, 39 quale sit discrimen inter nomina secundae et tertiae declinationis 'us' syllaba finita, uberius docetur. — A. XI, 522 Servius observat ex diminutione cognosci posse, exeatne in 'es' vel in 'is' syllabam vox primitiva nominativo singulari. — G. I, 165 casuum ἰσοσυλλαβία et περιττοσυλλαβία a Servio tractantur. — Copiose et docte noster de singulis tertiae declinationis casibus disputat: A. II, 610 et XI, 590 de ablativo singulari; A. I, 108 de accusativo plurali; A. I, 430 de genetivo plurali. — Amplissime autem Servius quemadmodum nomen in adverbium et adverbium in nomen transire possit ad A. V, 19 demonstrat. Nec minus probum grammaticum produnt ea, quae noster de animalium generibus ad Aen. V, 822 et ad G. I, 207 docet. Denique etiam iis, quae Servius de Graecorum nominum declinatione tradit: A. I, 97; III, 475; X, 332. 404; Ecl. III, 75; VI, 43; A. I, 374; VI, 595; A. XII, 701; A. II, 371; VI, 20; A. II, 322. 428; G. IIII, 447; A. XI, 487; A. IIII, 481; I, 359; A. I, 100; II, 41; X. 471; XI, 659; G. I, 162; A. VIII, 603; X, 153. 748; A. X, 778; G. I, 96; Ecl. I,

37; A. I, 232; VIII, 344; Ecl. II, 31; A. I, 370; XI, 262; A. VII, 324; X, 198; A. I, 30. 120. 220; II, 7; V, 117; VIII, 383; XI, 262; Ecl. VI, 68; G. IIII, 545; A. III, 122; A. V, 460; A. XI, 243; A. V, 370. X, 166; A. X, 364; XII, 704; A. I, 722; X, 364; XI, 263; Ecl. VIII, 56; A. VII, 277, eum grammaticae Graecae peritissimum fuisse persuademur. At in singulis locis inlustrandis non morabor. Legas, quaeso, praeterea hasce quaestiones uberiores: A. I, 359; IIII, 481; G. I, 162; A. VI, 104; A. I, 253. 293; II, 256. In tali igitur instituto non est mirum quod Servius de vi vel forma vocis in lemmate positae interdum paucissima dicat, contra de universa linguae lege vel de vocibus quae eandem aut similem rationem sequuntur, copiosissime praecipiat. Exemplo sit locus ille ad A. XII, 764, ubi haec leguntur: 'Sane oleaster; fere omnia Latina arborum nomina generis feminini sunt, exceptis paucis, ut 'hic oleaster' 'hoc siler'. Vergilius (G. II, 12): 'Ut molle siler'. Item 'hoc buxum', licet et 'haec buxus' dicatur. Nam superfluam quidam volunt facere discretionem, ut 'haec buxus' de arbore dicamus, 'buxum' vero de ligno compositum. Legimus autem in Vergilio de tibiis (VIIII, 619): 'Buxusque vocat Berecynthia matris Idaeae'. Item cum de arboribus loqueretur (G. II, 449): 'Et torno rasile buxum'. Servium hoc loco non tam de 'oleaster' voce, quam de universo arborum atque in primis buxi genere sermonem facere nemo non videt. Quod cur fecerit equidem intellegi posse nego, nisi Servium sua ex grammatico hausisse statuamus. Similis est alter locus ad Aen. I, 306 Locos; et 'locos' et 'loca' dicimus, cum in numero singulari 'locus' tantum dicamus. Simile est et 'iocus'; nam et 'ioca' facit et 'ioci', ut [Sall. in Jug. 96]: 'Ioca atque seria cum humillimis exercere'. Et [Cic. Phil. II, 4]: 'Quam multa ioca solent esse in epistolis'. Et Persius (VI, 5): 'Tum iuvenes agitare iocos'. Etiam hoc loco Servius neglecta 'locus' voce tantum ad 'ioci' et 'ioca' voces comprobandas circumspexit exempla. Cur enim ad 'loci' et 'loca' voces firmandas auctorum testimonia, quae sescenta exstant, non adtulit? Nimirum quia in fonte ex quo hausit grammatico haec tantum opinor invenit exempla. Cum haec moris esse Servi observassem, summa inde suspicio mihi est orta illum ita egisse, ut ubicunque apud auctorem suum grammaticum praecepta Vergilianis testimoniis exornata legit, totum titulum ad eundem versum, qui a grammatico laudatus erat, in suos commentarios transferret. Contra adnotationes, quibus sermonis usus Vergili tantum proprius explicatur, quominus in commentariis Vergilianis exstitisse putemus nihil obstat. Atque haec nostra coniectura sublevatur reliquorum commentatorum libris, qui aetatem tulerunt. Quibus nihil inest, quod ad uberiores quaestiones, vel artis grammaticae leges explorandas pertineat. Brevissimae tantum adnotatiunculae, quibus vocabulorum in lemmate positorum vis atque forma explicantur, ibi leguntur. Ut verbis fidem faciamus, omnium commentariorum

plurimos locos, quae ad declinationem spectant, infra componimus: Scholia Bernensia, ed. Hagen: ad G. II, 71 p. 892 Fagos, nominativus Graecus, quod non credo, quia fagus fungendo; verius autem fagos pro fagi; Ecl. I, 69 p. 755 Tuguri, i pro ii; Ecl. III, 105 p. 774 et Caeli pro Caelii dixit; Ecl. IIII, 49 p. 781 deum pro deorum posuit; G. IIII, 81 p. 960 Glandis nominativus hic est; Ecl. V, 68 p. 790 Craterasque, fit crater et cratera. G. I, 46 p. 849 Vomer; Lucretius ait (I, 314) 'decrescit vomer in arvis.' Hic vomer et hic vomis et ab utroque huius vomeris dicimus; G. I, 162 Vomis et vomer, vomeris faciunt; G. IIII, 122 Cucumis. Haec cucumis nominativus, huius cucuminis, sed hoc maluit poeta quod eufoniam sequitur. Junilius dicit. Et huius cucumeris dicitur, ut Gaudentius dicit; Ecl. V, 25 Daphni vocativus est; Ecl. VIII, 77. 78 Amarylli vocativus casus est; Ecl. VIIII, 1 Moeri vocativus casus; Ecl. II, 14 p. 758 Alii Amaryllidos graece, Amaryllidis latine; Ecl. I, 4 p. 750 Amaryllida accusativus graecus est; Ecl. II, 46 p. 769; VI, 30 Orphea accusativus graecus est; Ecl. II, 76 p. 771; II, 78 p. 771; III, 107 p. 775; VII, 14 Phyllida accusativus graecus; Ecl. VIII, 24 'Panaque' accusativus est; G. IIII, 418 Specus. Hic specus et hoc specus dicitur; G. IIII, 158 p. 965 Victu pro victui; G. IIII, 198 p. 967 Concubitu pro concubitui; Ecl. V, 29 p. 787 Curru pro currui; G. III, 377 p. 945 Specubus IIII. declinationis; G. I, 210 p. 862 Ordea, usurpative III casus tantum pluralis dicuntur; G. II, 7 Musto. Mustum numero singulari tantum, ut vinum licet Ovidius dixit musta; G. III, 311 p. 942 Barbas. Nunc de quadrupedibus; nam 'barbam' hominum, 'barbas' pecudum dicimus; ita dicit Caper. Tamen hoc Cominianus vincit, dicens: 'Errant qui in hominibus barbam, in hircis barbas dici putant, sed recte barbam in uno homine singulariter et pluraliter in pluribus dicas; G. III, 104 Carcere; usurpative pro carceribus, qui ab arcendo dicti sunt; nam 'carcer' est et custodia noxiorum; G. IIII, 250 Foros alvearia dicit, cum proprie 'fori' navium sint; G. I, 192 p. 861 Paleae; Paleam contra artem dixit, quia quae ex pluribus constant, numeri sunt pluralis, ut 'cancelli'; Ecl. X, 55 p. 836 Maenala; hic Maenalus haec Maenala, mons Arcadiae; G. IIII, 109 p. 961 Croceis. Hic crocus et hoc crocum fit, odoris et coloris optimi; G. III, 360 p. 944 Crusta cum genere feminino dicimus, lapidis aut ligni aut gelu, cum masculino panis. Crustae, aquae congelatae; G. II, 18 p. 887 Cerasis. Cerasus civitas Ponti. Arbor 'cerasus', pomum autem 'cerasum' dicitur; G. I, 314 p. 871 Spicea. De maturis frugibus abusive dicimus; nam proprie 'spicus' est, cum per culmi folliculum id est extremum tumorem aristae adhuc tenues in modum spiculi eminent. Gaudentius dicit; G. II, 117 Hebenum. Hic hebenus, hoc hebenum fit; G. IIII, 145 p. 864 Spinos; Hic spinus prunorum arbor dicitur; G. I, 94 p. 853 Rastris, hos rastros, haec rastra; Ecl. V, 21 Coryli et flumina etc.; notandum tamen, quod feminino

nomine et neutro respondit dicendo: 'testes coryli et flumina'; G. III, 245 p. 937 'Leaena' graecum sicut 'dracaena'; nam nos 'hic et haec leo' dicimus, quia in o exeuntia nomina feminina ex se non faciunt, ut fullo latro leo; lea autem usurpatum est; G. III, 1 Magna Pales. Vergilius feminino dicit; alii, inter quos Varro, putant esse masculinum, ut hic Pales; Ecl. VIII, 28 p. 818 'Cum canibus' et reliqua etc'. 'Timidi' pro 'timidae', mutavit genus, ut in Georgicis: 'capti talpae'; G. I, 183 p. 860 Capti, caeci; Capti talpae, mutavit genus ut in Bucolicis: 'Timidi dammae'; Ecl. II, 63 Leaena fit auctoritate, quamvis veteres dicebant hic et haec leo; G. I, 448 p. 880 Pampinus generis feminini, ut Varro 'harum pampinorum'; G. II, 12 Molle siler. Notandum genus neutrum in arboribus, quod admodum rarum est; G. IIII, 296 p. 972 Licet 'hic imbrex' dicamus, tamen quidam ait: 'Fregisti imbrices meas'; G. III, 330 p. 943 Ilignis canalibus; etc. sane 'canalis' feminini generis melius, quam masculini; G. II, 50 p. 890 Scrobibus; scrobis generis masculini, licet Lucanus contra Artem dicit (VIII, 756): Exigua scrobe, idest fossa; G. II, 24 p. 885 Stirpes. Haec stirps hominum, hic stirps arborum, quamvis veteres indiscrete; Ecl. VIII, 75 p. 824 Impare pro impari; Ecl. V, 88 p. 792 'pedum' accusativo casu tantum invenitur; Ecl. VI, 18 Ambo pro ambos, hos ambo. Sic et Homerus (Verrius)*. Junilius dicit; cf. G. IIII, 88 p. 960. Ambos. Ambo iuxta Ebrium; G. I, 171 p. 832 Novales etc. Has novales et haec novalia dicunt; G. I, 120 p. 856. Intiba. Hic 'intiba' neutrum; est et frequenter hic 'intibus'; est 'intibus' in singulari numero masculinum, in plurali neutrum; G. I, 271 p. 867 vepres masculini generis; G. I, 431 Sciendum in propriis nominibus duo tantum genera fieri ut Phoebus Phoebe, Tullius Tullia; G. II, 88 p. 893 Volemis, volemae vel volemi; G. II, 184 p. 902 Uligine laeta; Tamen Cominianus ait: 'in eadem forma masculina uligo et farrago;' G. II, 202 p. 903 Gelidus ros; bene dictum 'hic ros'; G. III, 106 Verbere nominativum non habet; G. III, 325 p. 943 Novum, recens. Notandum quod 'mane' nomen posuit pro adverbio; G. III, 526 p. 953 Massica. Massicus et Massica, ut hoc porrum et hi porri, et 'hic intubus' et 'haec intuba'. Junilius dicit. G. IIII, 22 p. 957 Favis, hic favus. — Scholia Veronensia ad Vergilium, ed. H. Keil: Ecl. VII, 683 p. 99,14 Gelidumque Anienem. Asp. Ani — — — —; A. III, 597 p. 81,25 Arma semper plurali numero enuntianda, sed hic per μετωνυμίαν bellum intellegetur etc. Ecl. VII, 117 p. 77,15 Fert ebenum] etc. observandumque quod masculino genere dixerit, nisi forte — nom locutus sit — —; A. VIII, 34, p. 99,29 Carbasus et masculino et feminino genere dictus est. [Catullus canubiae] — carbasus — ros umbrosa [c—an] — —; Ecl. III, 30 p. 71,5 Bis venit ad mulctram; Adnotandum quod hic mulctram feminino genere posuerit, cum alibi neutro: 'Inplebunt mulctralia vaccae'; A. III, 351 p. 79,30 Rhodope porrecta

sub axem; Mons hic indeclinabilis est; A. III, 707 Fannius in VIII annali Drepanum modo, modo Drepana appellat; A. IIII, 178 p. 93,31 Famam Vergilius singulariter, aut Sall. dixit plurali numero, ut in primo historiarum: 'at per omnem provinciam magnae atque atroces famae ibant, quum ex suo quisque terrore quinquaginta aut amplius hostium milia, novas immanes formas, fluctibus oceani adpulsos corporibus hominum vesci contenderunt'; A. V, 487 p. 96,11 Malus quando arborem navis significat, generis masculini est, quando arborem pomorum, feminini; A. VII, 688 p. 99,20 — onicus neutro genere dicit galeria ..... atas dictas putant, quarum prior —'. — Addemus hoc loco, quoniam omnium, quas scholiastae Vergiliani quorum libri exstant praeceperunt, regularum, quantum ad declinationem spectant, conspectum dare in animo est, 'Aspri quaestiones Vergilianas', licet eius ratio a scholiastarum libris prorsus abhorreat; uberiores enim quaestiones in linguae Vergilianae proprietates instituit. —: p. 111,13 Keil: Nom. pro voc. Muscosi fontes et somno mollior h. e. q. u. r. u. t. a. u. Corniger Hesper. f. r. a. a. et Socer arma Latinus h. Equitem Messapus in ar. e. c. f. c. l. d. c. o. d. ubi si rondam; p. 112,26 Attendenda in casibus varia declinatio cum modo Euandrus ait, modo Euander: Euandrus pariter p. T. i. Pallas Euander in ipsis o. s. o. sic et Nam tibi Thymbre caput E. a. e. Daucia Laride Thymberque s. p.; p. 113,3 sic et exanimum et exanimem, Praeterea iacet exanimum t. c. a. Laevo praessit pede talia fatus exanimem r. i. p. b. i. q. n. ibi; p. 113,10 Deinde attendendum quod quae singulariter tantum grammatici existimant enuncianda effert pluraliter ut Exercete viri tauros s. h. c. hordeum enim dicendum putant. Si triticeam in messem r. f. e. et Fluviosque ministrant farraque et Vere fabis satio et Vina bonus quae deinde c. o. A. et Mellaque decus sit fol. Contra quae omnino pluraliter existumant dici, singulariter, ut Actoris Aurunci spolium et Quo nunc Turnus ovat spolio g. p.; p. 113,19* gulariter et enuntiatur hoc te uren adistata priore re (ita indicavit Keilius), quod ibi pluraliter ficta grammatici barbara vocant at his dicuntur om. Ternaque transierint r. h. s. Huic contrarius est, ut Vidi egomet duo d. u. e. c. n. p. m. m. m. r. i. a. f. a. s. duo enim ibi posuit pro binis, quod non duos solos cyclops adflixit, sed binos. Praeterea non neglegendum, ubi proposito singulari tamen pluraliter ei occurrit quod sensum habeat pluralem, ut Pars autem posito surgunt d. s. Pars in frusta secant u. t. f. Pars stupet innuptae d. e. M. e. m. m. e, Undique etc. — Donatus in Terentium, ed. Lindenbrog: p. 48 IN SOMNIS per noctem. ait Vergilius 'Libra dies somnique pares ubi fecerit horas'. Plautus 'Miris modis ludos faciunt hominibus, mirisque exemplis somnia in somnis'. Alii IN SOMNIS vigilans; sed melius, per noctem; p. 117 INSOMNIA. Vigiliae. Legitur et 'adiget', ut sit 'insomnia' numeri singularis; ad Eun. II, 3,18 PATRIS PENVM OMNE. Ipsum penum etc. Et hoc penu et hic penus et haec penus

veteres dixerunt. Ergo et 'omnem' et 'omne' legitur; p. 429 HERI etc. Propter cognationem E et I litterarum non dubitaverunt antiqui 'here' et 'heri' dicere et 'mane' et 'mani' vel 'vespere' et 'vesperi'; p. 42 CHREMI. Sic Chremi, ut Ulyssi et Achilli; p. 42 CHREMETEM Chremem et Chremetem, ut Darem Daretem; p. 57 CHREMETEM. Continuo mutavit declinationem, ut 'iubeo Chremetem'; p. 166 DOMI adverbium est in loco; p. 176 DOMI FOCIQVE. 'Domi' et 'foci' genetivi sunt. Caecilius 'decora domi'. Plautus 'quamquam domi cupio, opperiar tamen'; p. 136 QVI HABET SALEM. Sal neutraliter condimentum est, masculini: sapientia; p. 128 QVIDVE ES ALACRIS? Et alacer et alacris dicitur, ut habes apud Vergilium 'Ergo alacris cunctosque putans excedere pugna'; p. 49 POTIN ES etc. Integrum 'potine', id est potes. Ut Vergilius 'Nec potis Ionios fluctus aequare sequendo'. et deest illi ES. Est enim nomen 'potis': et facit 'potis potior potissimus'; p. 50 POTISSIMVM Aequalium aetate, potissimum dignitate: etenim potis potior potissimus facit; p. 266 NIHIL POTE SVPRA, ἔλλειψις per admirationem est: subaudiendum est enim vel 'esse' vel 'dici'. Ut 'pote' pro 'potis' et 'mage' pro 'magis', τῷ ἀρχαϊσμῷ; p. 271 potissimum autem superlativum est ab eo quod est 'potis' et 'potius'. Sic enim facit: 'Potis potius potissimum'; p. 165 TAM NVLLI COSILII. Una pars orationis est, 'nulli consilii'. nos 'nullius' et 'solius'; recte autem veteres 'nullo nulli', 'solo soli' declinabant; p. 192 MIHI SOLAE etc. 'Soli' regulariter dicitur: 'solae' non recte, sed antique, ut alibi 'Hoc ipsa in itinere, altera dum narrat, forte audivi'; p. 373 SCIO CONTINVO SOLA SOLI. Ut etc. Et sic 'sola soli' dicitur, quomodo 'praesens praesenti'; p. 166 ELLVM. Ecce illum; vel pronomen est, vel adverbium demonstrantis. Alii interrogative legunt, ut sit 'ellum' dicis etc. Ut sit 'ellum' pronomen, id est 'illum'; nam et 'illum' et 'ellum' et 'ollum' veteres dixerunt; p. 60 ATQVE ECCVM. 'Eccum' quasi 'ecce eum'. Veteres dixerunt 'eccum, eccuius, ellum'; quod apertius significat 'ecce illum', et obscurius 'ellum'; p. 42 NIHIL ORNATI. ἀρχαϊσμός. Sic Sallustius: 'Ergo Senati decreto serviendumne sit'; p. 120 QVID ISTIC ORNATI? Et 'ornati' ut 'senati' antiquus genetivus; p. 373 QVID FVIT TVMVLTI. Antiqui sic declinaverunt 'tumulti senati', ut Sallustius 'Decretum senati fit'; p. 443 ADVENTI. Sic veteres genetivo casu proferebant; ADVENTI multipliciter declinatur, et 'adventi' et 'adventus'. sic in Andria 'Nihil ornati, nihil tumulti'; p. 70 ANIME MI Mi pro meus; p. 86 MI PATER 'Mi' meus, est principium factum a conciliatione personae; p. 268 O MI etc. 'Mi' meus, sed vocativo dixit casu; p. 276 MI HOMO 'Mi' pro meus; p. 331 MI PATER 'Mi' vocativus casus est ab eo quod est 'meus'; p. 455 MI PATRVE etc. 'Mi' vim blandimenti habet: nam significat 'meus'; p. 71 DIECVLAM, etc. 'Dieculam' hoc est tempusculum et sumitur ab eo quod est 'haec dies'; p. 133 QVISQVAM. Quia quaequam dicere absurdum est. ILLARVM QVISQVAM. 'Quis-

quam' multis exemplis probatur etiam feminino genere veteres protulisse: ita ut in numeris et generibus haec pronomina infinita sunt; p. 303 APERITE ALIQVIS etc. proprie enim veteres et 'Quis' et 'Aliquis' et 'Quisquam' non observabant, quo genere aut quo numero declinarent, Est ergo figura ἀρχαϊσμός; p. 360 VITAM VESTRORUM. 'vestrorum' pro 'vestrum'. sic veteres; p. 315 DIS etc. Ab eo quod est 'Dis, ditis, dites' facit: ab eo quod est 'dives divitis, divites'; p. 481 VOLVP EST. 'Hoc volup' nomen est ut 'hoc facul': sic enim veteres per ἀποκοπήν loquebantur. — COMPLVRIA. secundum regulam locutus est; nam 'hoc complure' et 'haec compluria'. etc. COMPLVRIA. Sic veteres quod nostri dempta syllaba 'complura' dicunt. Sic Cato Originum secundo: 'Fana hoc loco compluria'. Cicero in Protagora: 'Confirmandi genera compluria'. Credo quia veteres 'hoc plure' non 'hoc plus' dicebant. — Eugraphius in Terentium, ed. Lindenbrog, p. 531 col. 1. CVPEDINARII etc. 'Cete' genere neutro pisces sunt, qui ad salsamenta proficiunt; p. 560,1 TERGO etc.: Tergo, id est dorso, siquidem 'tergum tergi' dorsum, 'tergus vero tergoris' corium dicitur; p. 517, col. 1 PRECI. Antiqui declinabant 'prex precis', unde remansit in usu accusativus et ablativus in singularitate; p. 531 col. 2 HICCE etc. 'Hicce' nominativus pluralis; p. 562 CAUDEX etc. etc. 'Stipes' similiter est truncus cuius libet ligni et declinatur 'stipes stipitis'. 'Stipes' vero 'stipis' est praebenda militum. — Scholia Horatiana, ed. F. Hauthal, vol. I, Berolini 1864; vol. II, Berolini 1866. — Pomponii Porphyrionis commentarii in Q. Horatium Flaccum, rec. Guliel. Meyer, Lips. Teubn. 1874. — Ad carm. I, 15,34: Classis Achillei. Achillei et Ulixei veteres dixerunt ad similitudinem fortassis diei et faciei; ad Epod. XVI, 59 Ulixei: Metri causa separatio, i. e. diaeresis facta est, ut 'materiai' et 'pictai' solet dici, nisi forte ita declinavit ut 'diei'. nam utrumque nomen videmus producta syllaba terminari; ita et paulo post 'Achillei' dixit. POR. — ad Epod. XVI, 60 Ulixei. Ut supra (Hor. c. I, 6,7): Nec cursus duplices per mare Ulixei. ACRO; ad carm. I, 15,34 Achillei. Veteres declinationes ista habent: 'Achillei' et 'Ulixei'. ACRO; ad serm. I, 10,25 Petilli autem genetivus est; ad art. poet. 71 si volet usus. Id est: consuetudo sive ratio loquendi. Ratio enim usu et consuetudine vincitur. 72. Quem penes arbitr. est Conversio est, id est, 'penes quem' [, id est apud quem]. Arbitrium autem est iudicium, id est: in potestate usus est [, id est], sermo et ius [vis] loquendi. norma loq. Quia usus facit auctoritatem interdum et consuetudo vincit regulam; ut frequenter Cicero (orat. 46. conf. Liv. XXII, 22) 'modium' ponit pro 'modiorum', 'liberum' pro 'liberorum'. Hoc usu dicitur. ACRO; ad carm. III, 25,2 aut quos a. i. s. p. Hic masculino genere 'specus' posuit; dicitur enim et 'hoc specus'. ACRO; ad carm. III, 6,22 'Artubus' legendum, quia non venit a nominativo 'artes' sed 'artus' etc.; ad art. poet. 131 Et poetica licentia pro 'materia' 'materies' dixit; materies enim lignum est.

ACRO; ad serm. I, 10,3 'Sale multo' ideo ait [in] numero singulari, quod dicturus erat 'perfricuit' ut quasi vero sal faceret; nam 'sales' [pluraliter] plurali numero dicendi sunt cum urbanitas significatur. ACRO. — 'Salem' pro urbanitate posuit. Sed 'sales' in hac significatione pluraliter solent dici. verum quia 'defricuit' dicturus erat, necesse habuit quasi de vero loqui et ideo singulari numero dixit. Scimus autem Lucilium urbanis salibus multos Romanorum carpsisse. POR; t. I, p. 258,20 hectoreis op. 'Opes' autem pro auxiliis ponuntur, tamquam sint auxilio Hectoris usi, ut Terentius (Andr. III, 1,15): 'Iuno lucina, fer opem, serva me, obsecro'. ACRO; ad carm. I, 7,9 'Aptum' autem 'equis Argos' genere neutro obsolete dicit. ACRO; ad serm. I, 1,25 crustula. Placentas, 'Crustula' quando neutraliter dicimus, 'edulia' significamus, ut Verg. (A. VII, 114): ['Et violare manu malisque audacibus orbem] Fatalis crusti'; quando feminino, 'haec crusta' fragmenta significat, ut idem Vergilius (G. III, 360): 'Concrescunt subitae currenti in flumine cristae'. — ad carm. IIII, 9,18 Ilios vexata. Et 'haec Ilios' et 'hoc Ilium' dicitur, [ut (A. III, 2): 'ceciditque superbum Ilium'.] ACRO; ad carm. I, 4,12 Seu poscat agna. Adtende feminino genere agnam maluisse dicere quam 'agnum', secundum illud Vergilianum (A. VIII, 641): 'Et caesa iungebant foedera porca'. Nescio quid enim quaedam eloquutiones per femininum genus gratiores fiunt. POR.; ad epist. II, 1,141 tellurem porco pro porca'. ut e contrario Vergilius (A. VIII, 641): 'Et caesa iungebant foedera porca. POR.; ad carm. I, 2, 9 haesit ulmo etc. quas (sc. damas) Vergilius masculino genere posuit (Buc. VIII, 28): 'Cum canibus timidi venient ad pocula damae'; ad Epod. II, 31 multa cane. Feminino genere 'canem' dixit, ut (A. VI, 257): 'visaeque canes ululare [per umbram']. ad carm. I, 14,5 Et malus. Arbor quae tenet velum, et est masculini generis. — Celeri saucius Africo. Grave bellum intellegi voluit etc. 'Malum' autem summitatem (sublimitatem) arboris dixit, ut (Verg. A. V, 829): 'iubet ocius omnes Attolli malos'. sed arbor (ipsa?) feminini generis est, poma vero neutri, ut (Verg. Buc. III, 71): 'Aurea mala decem misi'. ACRO.; ad carm. I, 2,88. quod pulchrae clunes. Clunes dixit feminino genere, sed Iuvenalis (XI, 164) 'hic clunis' dixit, quod tenemus: ['Ad terram tremulo descendunt clune puellae']; ad carm. I, 4,1 Acris hiems. 'Acris' nomen (et?) neutrale a masculino genere, ab eo quod est 'acer', unde etiam in masculino [genere] in 'is' desinit; ideo commune et omne nomen facit ut 'acris hiems' et 'acris sinapi'; ad art. poet. 161 'Imberbus' et 'imberbis', sicut 'inermus' et 'inermis' [invenitur]. ACRO; ad carm. II, 11,16 Assyriaque nardo etc. et adnotandum hic quoque 'nardum' feminino genere dici sicut supra. POR.; ad carm. III, 3,6. Adriae; masculini generis est Adria. ACRO; ad carm III, 4,1 'Melos' autem specialiter dici volunt cantum pastoralem; [est autem indeclinabile neutri generis]. ACRO; ad epod. II, 54 non attagen Ion.; etc. et 'attagen' masculino genere

declinavit. ACRO; n. a. i. Cum ‘attagenas‘ feminino genere vulgo dicant, adnotandum quod masculino genere hic dixerit. POR.; ad epod. VIIII, 22 et intactas boves etc. Feminino autem genere boves non sic dixit quasi feminis tantum triumphantes sacrificent, sed quia nescio quid gratius feminino genere boves quam masculino dicuntur. denique et Vergilius (Buc. I, 9): ‘Ille meas errare boves ut cernis’. POR.; ad epod. X, 1 Mala alite etc. Et adtende ‘alitem’ hic feminino genere dixisse, alibi masculino (Hor. carm. IIII, 4,1): ‘Qualem ministrum fulminis alitem’. POR. — alite. ‘Hic’ et ‘haec ales’. ACRO; ad epod. XVII, 48 Et adnotandum pluraliter dixisse ‘pulveres’. POR.; ad serm. I, 2,67 exclusus fore etc. Et notandum ‘fores’ numero singulari. Terentius in Adelphis (II, 3,11): ‘Quidnam (con)crepuit fores’? Item Cicero pro Cornelio (I. frg. 44 Or.): ‘Aperuit forem scalarum’, sed ex verbis accusatoris videntur, ut in Flacciana ‘strangulavit’ [posuit]’. ACRO; ad serm. I, 3,88 iugulo; Iugulus incerti generis est, nam et ‘hic iugulus’ et ‘hoc iugulum’ dicimus. ACRO; ad serm. I, 5,25. 26. Repimus etc. Declinatur neutro genere ‘hoc Anxur.’; ad serm. I, 5,34 Fundos 1: ‘Fundus’, nomen oppidi quod in numero plurali dixit tantum. ACRO; ad serm. I, 7,15. [duo. Pro ‘duos’ ut Vergil. (A. XI, 285): ‘Si duo praeterea tales Idaea tulisset]’. ACRO; ad serm. I, 10,7 risu diducere rictum etc. ‘Rictum’ incerti generis est; nam et ‘hic rictus’ dicitur et ‘hoc rictum’ mensura oris etc. ACRO; ad serm. I, 10,18 Hermogenes etc. Hermogenes Demetrius, quem iste ‘simium’ adpellut, genere masculino etc. ACRO. — Adnotandum. cum vulgo receptum sit, ‘simiam’ tantum dici debere, ‘simium’ dixit. POR.; ad serm. II, 2, 89. 90 Et ‘hic nasus’ et ‘hoc nasum’ dicitur, et est incerti generis. ACRO; ad serm. II, 4,73 Nota quod ‘allec’ neutro genere dixit. POR.; ad serm. II, 8,20 Thurinus; De Thuri oppido Calabriae, sive de Thuriis; nam et ‘hoc Thuri[um?]’ per omnes casus singulares declinaverunt Veteres et ‘hi Thurii horum Thuriorum his Thuriis’. ACRO; ad art. poet. 18 Aut flumen Rhenum. Notandum ‘flumen Rhenum’ genere neutro, sicut Sallustius in Historiis (frg. III, 55 Kr.) ‘Nomenque Danubium habet’. ACRO. — aut fl. Rhenum. Non dicit genere masculino ‘Rhenus’ sed neutro ‘hoc Rhenum’ quia est ‘hoc flumen’. POR. — Commenta Bernensia in Lucanum, ed. H. Usener: p.25,13 ‘Rubico’ autem non ‘Rubicon’ debet dici, quoniam genetivum ‘Rubiconis’ facit, non ‘Rubicontis’; p. 202,10 ‘Calydona’ accusativus est Graecus; p. 230,4 SEV TONITRVS masculino genere posuit, cum sit neutro monoptoton; p. 230,24 CORNVS TIBI CVRA SINISTRI L. ‘cornus’ sic superius posuit ‘tonitrus’. ‘cornus sinistri’ usurpavit Lucanus, nam inflexibile est. ‘cornus’ autem arbor declinatur ut ‘ficus’; p. 45,1 VIDEO PANGAEA etc. Pangaea autem dixit, sicut ‘Maenalus Maenala, Tartarus Tartara’ etc. — Pangaea mons Thessaliae numeri pluralis, generis in singulari masculini, in plurali neutri, ut ‘Maenalus Maenala’; p. 324,4 VINCETVR FASTIBUS ANNUS

'fastus' superbia quartae declinationis est, fastus autem liber II declinationis. Ergo male posuisse videtur (cf. adn. Usen.); p. 319,26 HEBENVS MAREOTICA contra Vergilius neutro genere posuit 'India nigrum fert hebenum'; p. 170,20 CARBASA R. neutro genere 'carbasa'; p. 152,26 OSPES IN EXTER. A. C. T. bene 'hospes curia' non 'hospita', ut Vergilius 'bellum o terra hospita portas'. quae enim in ES exeunt, secundum regulam communia sunt, nam femininum amittunt; p. 283,5 EXIGVA SCROBE 'scrobe' feminini generis licet Plautus posuerit masculino: quod et artis est, nam hic contra rationem posuit (cf. Usen. adn.); p. 62,18 spiramina 'naris'; 'naris' pro 'nasi': 'nares' enim animalium dicimus; p. 66,13 ELICE nominativus Graecus; p. 107,24 NVBIFERAM ALPEM notandum singulariter 'Alpen' dictam; p. 175,21 INVERSO FASELO MVNITA 'faselum' posuit genere feminino; p. 208,28 'pacti' genetivus est casus; p. 213,19 METUENTIS accusativus pluralis est; p. 309,24 ET NATRIX VIOLATOR AQVAE masculino genere dixit, cum sit feminino — est tamen ex his nominibus, quae communicativa vocamus, ut est passer aquila. nam illius serpentis masculinum nomen invenimus. — Scholia ad Iuvenalem, ed. O. Jahn: p. 288 notandum quia masculino genere dicit crocum. Virgilius [georg. IIII, 182]: 'crocumque rubentem'. Sallustius dicit neutro: 'in qua crocum gignitur'; p. 174,2 TELEPHUS etc. notandum. marginem feminino genere dicit, Ovidius [met. I,13] masculino dicit; p. 211,3 FECISSE LACERTAE notandum quia feminino genere dixit 'lacertae', cum Virgilius [ecl. II, 9] masculino dixit 'lacertos'. — Scholia in Persium, ed. O. Jahn: in sat. II, 36 p. 285 Metri vero causa fecit synaeresin nominis 'Licini' pro 'Licinii'; VI, p. 341 'Fidis' genus citharae vel chordae, quod tam singulariter quam pluraliter dicitur, ut Horatius: 'et fide Teia Dices laborantes in unum'. Pluraliter, ut Virgilius: Threicia fretus cithara fidibusque canoris; VI, 22 p. 343 'Turdarum' abusive posuit, cum 'turdorum' dicere debuerit, ut Horatius ponit: 'Pene macros, arsit, dum turdos versat in igne'; I, 108 p. 273 'Sis' pro 'suis' apud antiquos ponebatur, et 'sos' pro 'suos', 'sas' pro 'suas', detracta u littera; interdum 'sis' pro 'si vis'; II, 3 p. 279 Et notandum 'prece' numero singulari, ut Horatius: 'prece qua fatigent Virgines sacrae minus audientem'; III, 10 p. 295 Et notandum feminino genere 'membrana'; IIII, 35 p. 316 Arcanaque lumbi, scilicet podicem; et notandum singulariter 'lumbi'; V, 75 p. 329 'Quiritem' autem singulariter abusive dixit, licentia poetica. Nam sicut 'pater conscriptus' non dicitur, ita nec 'Quiritem' dicere possumus; V, 91 p. 340 poetica licentia abusus est. Nam cum sit centum nomen monoptotum indeclinabile, tanquam si per casus declinare posset et faceret nominativo casu 'centus', genetivo 'centussis', ita quasi ablativum casum posuit, cum dicit 'centusse'. —

Qui haec omnia reliquorum scholiastarum testimonia perlustraverit atque cum scholiis Servianis comparaverit, is libenter, opinor, mihi concedet adnotationes istas non tam ad universae linguae leges

vel regulas, quales in iusta arte grammatica proponuntur, sed ad singularum vocum formas brevibus explicandas spectare. Deinde monendum videtur horum commentatorum sermonem non longius excurrere, quam ad auctorum quos interpretantur verba ipsa intellegenda necessarium est. Itaque nihil de quarundam vocum toto genere vel de singulis casibus in universum in commentis istis explanatum reperitur. Obiciat mihi quidem quispiam Serviana commenta non ex illorum librorum indole et habitu iudicanda esse, cum eorum magnam partem a noviciis medii aevi grammaticis undique corrasam esse, maximam partem e scholiis Vergilianis pendere satis constet. Audio; at cur illi interpretes tales tantum adnotationes in suos commentarios ex uberrima Servi copia transtulerunt, quae ad sermonis quas dicimus differentias — Brambachius in libello suo orthographico p. 41 sq. optime eas descripsit — potissimum pertinerent? Aut fallor aut quod ampliores quaestiones commentariis non convenire existimaverunt aut quia multa non e Servio, sed ex antiquiore fonte, ubi haud ita ampla copia grammatica exstabat, hauserunt. Etenim vetustiores Vergilianorum carminum commentarios docta atque antiqua artis grammaticae doctrina non abundasse etiam inde consequitur, quod ii interpretes, qui fusiores quaestiones in Vergili linguam instituerunt, observationes suas non commentariis inseruerunt, sed aut singularibus libris incluserunt, ut Aemilius Asper, aut aliis scriptis grammaticis addiderunt, ut Verrius Flaccus, Valerius Probus, Velius Longus, Terentius Scaurus alii. Quod quin nulla alia de causa fecerint nisi quod illis quaestionibus commentarios ut navem saburra inutili atque supervacanea gravari intellegebant, non est dubium. Nam si Teuberus (l. l. p. 58) et Steupius (l. l. p. 81 adn. 2) commentarios nec puerorum nec scholarum usui compositos esse recte statuerunt, quid opus fuit accuratiore explanatione grammatica quae ultra poetae verba probe enarranda atque inlustranda extenderetur, cum unusquisque artem et doctrinam grammaticam iam didicisset apud grammaticos? Neque quidquam contra nostram sententiam facit, quod in vestustissimis, velut Stilonis, commentariis Romanis etiam uberrima studia grammatica fuisse conlocata legimus (cf. R. Schoell, Legis duodecim tabularum reliquiae, Lips. 1866 p. 39); nam illo tempore, cum ante Varronem atque Caesarem ars grammatica non iam esset constituta, doctrina quae formalis a nobis nuncupatur, cum etymologia, orthographia, philosophia aliisque disciplinis artissime consociata erat; illius temporis magistelli artem grammaticam non iam tradebant pueris. Deinde non mirabimur, quod commentatores monumenta illa horridae vetustatis commentati in primis sermonis, quippe qui a praesenti usu remotissimus esset, rationem habuerunt. Restat, ut gravissimum argumentum addam, quo Servium nostrum non a commentatoribus, sed a grammaticis plurima mutuatum esse comprobemus. Saepius enim de vocibus disserit, quae aut in versu quem tractat, aut omnino apud Vergilium

non leguntur; nonnullis locis Servius sua ipsius verba adnotatione grammatica instruit. A. VI, 325 inops inhumataque turba est; haec leguntur: 'Inopem enim dicit sine pulveris iactu — nam ops terra est —, i. e. sine terra, sine humatione' etc. In fine totius tituli Servius haec assuit: 'Sane sciendum, quia cum terram dicimus, 'haec ops' facit; si nympham dicamus, 'haec Opis'; si divitias, 'hae opes' numero tantum plurali'. — A. VII, 605 de 'Arabs' et 'Arabus' duplici nominativo singulari praecipitur; nec tamen harum vocum, quae saepissime apud auctores leguntur, sed 'Hiber' et 'Hiberus' vocabulorum, in comparationem vocatorum, exempla adferuntur. — A. VI, 842 Servius Lartem Tolumnium a Cosso tribuno militum interfectum esse narrat; deinde addit: 'Erit autem nominativus hic Lars huius Lartis'. Lars a Vergilio non commemoratur. — A. I, 211 'viscera' accusativus pluralis apud Vergilium exstat Servius ut 'hoc viscus huius visceris' declinari comprobet, hunc Lucreti versum laudat: 'Viscus gigni sanguenque creavi', et 'viscus' vocabuli prorsus oblitus totus in 'sanguen' voce, quae in illo versu non legitur, explicanda versatur; pergit enim: 'Sanguen' autem ideo dixit, quia 'sanguinis' facit, ut 'carmen carminis'. Si enim 'sanguis' diceret, par esset nominativus genetivo, ut 'anguis pinguis'. — Unde Servium, cum haec apud grammaticum auctorem sub titulo 'sanguen' invenisset, quoniam in versu isto Lucretiano etiam 'viscus' legebatur, totam disputationem ad hunc versum exscripsisse suspicamur. — Georg. I, 162 Servius de 'vomis' et 'vomer' nominativis disserens etiam Graecorum nominum in 'is' et 'in' nominativo singulari exeuntium habet rationem. Quid autem Graeca illa nomina ad hunc Vergili versum inlustrandum valeant non perspicitur. — A. VI, 104 sub voce 'virgo' Servius 'o' syllaba brevisne an longa sit quaerens uberrimam de adverbiorum verborum aliorumque nominum 'o' terminatorum mensura disputationem subiecit, quae valde grammaticum sermonem redolet. — A. V, 546 'Impubis' in lemmate positum est; Servius de 'pubis, pubes, puber' multa facit verba, de 'impubis' nihil refert. — A. I, 702 'mantile' in lemmate exstat, quocum Servius comparat 'torale'. Laudat autem Horati versum, ex quo 'toral' per apocopen pronuntiari eluceat. — A. XI, 590 Servius ad 'ultricem' accusativum doctissimo et uberrimo usus sermone, 'x' terminata nomina qualem ablativum singularem qualemque genetivum pluralem faciant docet. Tota autem disputatione, ut 'ultricem' accusativi forma aperiatur, minime opus esse nemo non videt. — A. I, 430 'apes' accusativus pluralis apud Vergilium legitur. Servius occasione data paucis qualis tertiae declinationis nominativus singularis qualem faciat genetivum pluralem praecipit. — A. VII, 188 ad 'ancile' pauca de 'anciliorum' anomalo genetivo adnotat laudato Horatio. — A. III, 122 ad 'Idomenea' accusativum Servius Graecae linguae dialectos enumerat et formarum varietatis, inde ortae, 'Idomeneus' vocis genetivos varios ponit exemplum; accusativus iste non explicatur. — G. I, 207 haec

exstant apud Vergilium: 'et ostriferi fauces tentantur Abydi'. Noster paucis de Sesto et Abydo prolatis ita pergit: Sane secundum artem 'haec ostrea' et 'hae ostreae' dicimus etc.; et subiungit multa de animalium generibus. At 'ostriferi' brevibus tantum explicatur: '"Ostriferi' autem, quod ibi plurimum ostreorum sit'. Num vero Vergilianum 'ostriferi' intellegi posse negamus nisi docta illa de animalium generibus disputatio addatur? — G. III, 64 ad 'pecuaria' pauca de 'pecu pecua' et 'genu genua' laudato Cicerone memorantur, quae ad 'pecuaria' nihil pertinent. — A. III, 22 Servius licet apud Vergilium 'cornea', non 'cornus' legatur, tamen, postquam exemplum, quo 'cornus' memoratur, adtulit, plura de 'cornus cornu genu' vocum declinatione profert. — A. VII, 10 ubi Vergilius haec cecinit: 'Proxima Circaeae vaduntur litora terrae' Servius hunc facit sermonem: 'ut diximus supra (III, 386) mons iste antehac insula fuit etc. In hoc summo oppidum fuit quod et 'Circaeum' dictum est et 'Circaei'. Nam utrumque Livius dicit'. — A. XI, 896 Servius de 'nuntius' et 'nuntium' disserens inter alia multa et haec dicit: 'Novimus enim poni aliqua in subauditione, quae ex aperto dicere non debemus, ut (VII, 498): 'nec dextrae erranti deus abfuit', cum necesse sit ut aut Junonem aut Allecto intelligamus. Item Sallustius: 'Primaque forte venientes exciperet', cum de insidiis loqueretur, quas numeri tantum pluralis esse plus quam manifestum est'. — A. II, 453 Servius de 'antica' et 'postica' vocibus exponit, quae apud Vergilium non leguntur. — G. I, 111 haec Servius habet: 'Gravidas aristas' periphrastikῶc pro spicis posuit. Dicimus autem et 'hic spicus' et 'hoc spicum'. Cicero in Arato: 'Spicum illustre ferens insigni corpore virgo'. Sed scire debemus in usu esse a masculino utrumque numerum, a neutro vero raro et tantum singularem inveniri. Nam pluralis nusquam lectus est'. Nec 'spicus' nec 'spicum' ad Vergilium spectat. Itaque Servius sua ipsius, non Vergiliana verba adnotatione grammatica instruxit. — A. I, 655 Servius 'baccatum' vocem his explicat verbis: 'ornatum margaritis'. Quibus subiungit haec, quae minimum ad Vergili versum intellegendum valent: 'Dicimus autem et 'haec margarita' et 'hoc margaritum' et 'haec Margaris', quod Graecum est quomodo 'Nais'. Sane multi separant gemmam a margarita, ut Cicero (Verr. IIII, 1): 'Nullam gemmam aut margaritam'. Et 'gemmas' volunt dici diversi coloris, 'margaritas' vero albas; vel gemmas integras, margaritas pertusas'. — A. V, 78 et Ecl. II, 23 Servius lacte novo 'colostrum' significari monet; addit autem: 'colostrum, quod neutri generis est; nam feminini esse penitus non potest'. Vergilius 'colostrum' non praebet. — A. III, 141 Servius Vergili verba 'tum steriles exurere Syrius agros' ita explicat: 'Syrius stella est in ore canis posita etc.', et in fine ultro haec assuit: 'Sane canicula, in cuius ore est, tantum generis feminini est, cum sit canis communis generis, unde hoc nascitur; nam in diminutione mutavit genus'. In versu isto nec canis nec canicula

reperitur. — Ad versum Ecl. VII, 58, ubi Vergilius 'pampineas umbras' memoravit, Servius haec monet: 'Sane sciendum pampinos nunquam Vergilium [cum genere] dicere, sed Varronem frequentius feminino'. Quibuscum conferas, quae noster ad A. V, 380 ubi de 'alacer' et 'alacris' nominativis agitur, addidit: 'Nam 'alacer' nusquam, 'alacris' nusquam dixit. Inde est quod etiam pampinus supprimit genus'. — Ecl. VI, 31 Servius postquam seminibus atomos a poeta significari docuit, ita pergit: 'Dicimus autem haec atomus et hae atomi'. — G. II, 293 Vergilius haec habet: 'Ergo non hiemes illam, non flabra etc.'; Servius 'flabra' obiter tetigit, pluribus 'flamen' et 'flamina' voces tractavit, quae quid sibi hoc loco velint non liquet. — Ecl. V, 69 'hilarans' in lemmate positum est, quo Servius adducitur, ut haec adnotet: 'Sane sciendum nomen, unde venit 'hilarus' vel 'hilaris', a Graeco descendere: nam ἱλαρός facit'. A. X, 332 ad 'Achaten' accusativum pauca de vocativo Graecorum nominum 'tes' syllaba finitorum adnotat. — Denique exstat exemplum, quod quoniam Servi ratio inde facillime cognosci potest, totum exscribemus; A. I, 451 haec Servius habet: 'Leniit; quartae coniugationis tempus praeteritum perfectum vel in vi iunctum exit vel sublata digammo in ii pro nostro arbitrio, ut 'lenii lenivi, audii audivi'. Sane cum in vi exit penultima longa est et ipsa accentum retinet, cum vero in ii, penultima brevis est et perdit accentum, quia, ut supra diximus (41): 'Unius ob noxam', quotiens vocalis vocalem sequitur, detrahit longitudinem praecedenti. Sed hoc in metro, ubi necessitas cogit; nam in prosa et naturam suam et accentum retentat. Nunc ergo 'leniit' tertia a fine habet accentum, quia penultima brevis est. Sane plerumque accentum suum retinet etiam sermo corruptus, ut Mercuri Domiti Ovidi. Tertia a fine debuit habere accentum, quia penultima brevis est; sed constat haec nomina apocopen pertulisse: nam apud maiores idem erat vocativus qui et nominativus, ut hic Mercurius o Mercurius. Unde cu licet brevis sit, etiam post apocopen suum servat accentum.' Adnotationem tam fusam copiosamque arti grammaticae, non commentario convenire nemo non videt. Deinde cur Servius de 'leniit' forma disserens in secundae declinationis vocativo singulari explanando tam multus sit, intellegi nequit; neque enim ad 'leniit' vocem inlustrandam copiosa atque docta illa vocativorum doctrina iuvamur. Itaque res ita expedienda videtur esse, ut Servium haec apud grammaticum invenisse statuamus, qui de syllabarum et accentu et mensura exposuit. — Ex his igitur quos adtuli locis illud profecto evincitur a Servio complures voces Vergilio non memoratas explicari. Eas certe adnotationes Servius grammaticis, non commentatoribus debuit. Quodsi omnia quae ex his quaestiunculis effecisse nobis videmur, iterum paucis repetimus, illud monendum est quod satis ex iis quae supra disputata sunt adparere puto Servium revera multa docuisse, quibus non tam explanationi Vergilianae quam universae doctrinae grammaticae consuleret atque

succurreret. Placita autem illa grammatica, a Vergili interpretatione aliena, iam in vetustioribus commentariis exstitisse aegre mihi persuadeo. Iam vero si Servius nihil uberioris doctrinae grammaticae apud commentatores invenit, qua tandem causa eum permotum esse existimabimus, ut solus grammaticorum ampla scrinia compilaret? Atque ni fallor tota res ita videtur expedienda: Servium multa scriptorum, quos haud dubie ipse perlegit, testimonia e sua lectione addidisse supra indicavimus. Etenim qui Servi commenta bene noverit, eum non fugerit in illis plura in primis ex historia, philosophia, antiquitatibus Romanis, mythologia, arte grammatica hausta legi, quam quibus ad Vergili carmina intellegenda opus esse. Quae additamenta cur noster libris suis inseruerit aliter explicari posse nego, nisi quod id potissimum egit, ut illo tempore, quo eruditio antiqua scriptorumque veterum cognitio paulatim decrescere atque omnino omne litterarum studium sensim abolescere coepissent, commentarios in carmina Vergili, cuius fama et auctoritas quantum apud grammaticos et in scholis per longissimum temporis spatium fuerit satis constat, amplissima omnis generis doctrina referciret, ut inde adolescentibus tum temporis leviter tantum eruditis atque veteris doctrinae copias fastidientibus omnis eruditionis encyclopaediam quandam pararet atque veterum auctorum imagines resuscitaret. Atque hanc nostram sententiam eo confidentius licet pronuntiare, quo magis eius temporis, quo Servius floruit, studia grammatica coartata esse ex Aemili Donati exilibus atque tenuibus artis grammaticae libris (cf. Keil gr. L. t. IIII. p. XXXVI) concludi licet atque debet. Accedit, quod Servio amplissimas Capri copias praesto fuisse veri est simillimum, unde sine molestia commenta sua ornare et amplificare potuit. — Postquam in universum ex scholiorum Servianorum indole atque natura, quales fuerint Servi auctores grammatici, indagare studuimus, iam nihil relinquitur, nisi ut ad eos transeamus grammaticos, quorum disertam Servius facit mentionem.

Haec fere decima est pars opusculi ordini philosophorum traditi. Reliquas quaestionum nostrarum particulas, in quibus Servi praecepta grammatica cum reliquorum grammaticorum placitis comparavimus, et interpolationes Servianas paucaque alia argumenta tractavimus, occasione data mox in medium nos prolaturos esse speramus.

Sententiae controversae.

1. G. Curtius (Grundzüge etc. Leipzig 1870, p. 131) ex Charisi loco p. 117 K. 'acrus' nominativum singularem a veteribus Romanis usurpatum esse perperam conclusit.
2. Serv. ad Aen. II, 18 contra L. Lerschium (Sprachphilos. d. Alt. Bonn, 1838—43, t. III, p. 159) lego: 'virum, pro virorum. Qua figura et in prosa utimur. Dicit sane Plinius hoc in neutro non esse faciendum, scilicet propter casuum similitudinem, nisi forte nimia metri necessitas cogat.'
3. Serv. ad Aen. VI, 647 sic mutaverim: 'Hic autem pecten declinatur ut flamen'.
4. Serv. ad Georg. IIII, 122 abicienda est Hageni lectio (cf. ed. schol. Bernens. in Fleckeis. ann. suppl. t. IIII, p. 702): 'Sane hic cucumis huius cucumis declinatur, sicut agilis secundum idoneos. Nam neoterici hic cucumer huius cucumeris dixerunt, sicut pulver pulveris'.
5. Martian Cap. l. III, 266 p. 65, 4 Eyssenhardti lectionem: 'Lucilius in dativo casu *A* et *E* coniungit dicens 'huic Terentiae Orbiliae' [Licinius] XXXX (in genetivo casu?) *A* et *I* et Lucilius crebro et noster Maro 'aulai aurai pictai'' contra Luc. Muellerum (ed. Lucil. 1872, p. 44. 222 sq.) defendo.
6. Servius fere omnia quae de nominum declinatione et genere praecepit, ex Flavio Capro hausit.
7. Grammatici interpretes et custodes sermonis sunt, non auctores.

Ioannes Kirchner de vita sua.

Natus sum die XXIIII mensis Junii a. h. s. XLVIII Calolimone (Schoenau), in vico mediae quae dicitur Silesiae patre Ottone matre Bertha e gente Marder, quos adhuc superstites esse vehementer gaudeo. Fidei addictus sum evangelicae. Primis litterarum rudimentis ludo publico imbutus inde ab anno aetatis decimo Theophili Hoffmanni, viri de me optime meriti, quo rectore etiam nunc Mediosilvani (Medzibor) urbis schola floret, egregia et institutione et disciplina fructus sum. Anno LXI in tertium ordinem gymnasii Olsnensis me recepit beatus Silber, vir non minus litterarum antiquarum scientia egregia quam docendi singulari dexteritate insignis, quem praemature defunctum semper memoria prosequar gratissima. Vere anni LXVII universitatem Viadrinam Vratislaviensem adii studiis philologicis operam navaturus. Inde a quo tempore scholis interfui V. V. Ill. Braniss, Haase, Hertz, Junkmann, Karow, Koerber, Oginski, Roepell, Rossbach. Magna cum mea utilitate exercitationum archaeologicarum, quas Rossbachius V. Ill. moderabatur, per duo semestria particeps fui. Autumno a. LXVIII Grypiswaldiam me contuli, ubi per tria semestria audivi disserentes V. V. Ill.: Buecheler, George, Hirsch, Hoefer, de Noorden, Schoemann, Susemihl. Seminarii regii philologici, quod Buechelerus et Schoemannus moderabantur, per tria semestria sodalis eram extraordinarius atque etiam historicis nec non geographicis exerctitationibus a professore ill. Hirsch institutis non sine magna mea utilitate operam dedi.

A. LXXI ad arma vocatus per duo semestria studia mea derelinquere coactus sum. Cum inde ab a. LXX summis in angustiis versarer, usque ad hoc proximum tempus praeceptoris domestici munere functus sum.

Omnibus praeceptoribus gratias ago quam maximas, in primis autem Francisco Buechelero, ad quem facilis erat aditus, et Georgio Thiloni, qui per litteras docendo et suadendo studia mea magno opere auxit quique usque ad hunc diem consilio suo me carere nunquam passus est.

Denique mihi cordi est praedicare egregiam benevolentiam M. Hertzi et G. Thilonis, quorum beneficio mihi contigit, ut et Teubnerus, bibliopola honestissimus, dissertationis nostrae edendae sumptus faceret et A. Fleckeisenus, vir de me summo opere meritus, totum caput, 'de Servi auctoribus grammaticis, quos ipse laudavit' conscriptum, annalium suorum supplementis insereret.

3 0112 126251658